R. Kunert

QUAE INTER

CLITOPHONTEM DIALOGUM

ET PLATONIS REMPUBLICAM INTERCEDAT NECESSITUDO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA UNIVERSITATE LITTERARIA

GRYPHISWALDENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

ANTE DIEM VII ID. MAI. ANNI MDCCCLXXXI

H. XII

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RUDOLFUS KUNERT

BRANDENBURGENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

P. VOIGT, SEM. REG. PHIL. SEN.

R. KLOTZ, CAND. PHIL.

H. SCHULZ, SEM. REC. PHIL. SOD.

GRYPHISWALDIAE, MDCCCLXXXI.

UDALRICO DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF

SACRUM.

De Clitophontis dialogi et tempore et auctore diversissimae circumferuntur opiniones. Qui an sit abiudicandus a Platone sane nostra demum aetate dubitari coeptum est, cum veterum nemo, quantum scio, de auctoritate eius dubitaverit. Immo si ex Procli et Laertii Diogenis[1]) verbis collegeris ad unum omnes Platoni libellum nostrum tribuisse, ego tibi non obloquar.

Nec nostrae defuere aetati, qui a Platone conscriptum esse Clitophontem contenderent[2]), quod ut aliis quoque persuaderent, vim nimirum afferre interpretandi arti coacti sunt. Ac Schleiermacherus[3]), ut palmam inter omnes omnino fert Platonicos, sic etiam in Clitophonte aestimando haud ita multum a vero aberravit. Non posse enim Platonis esse librum primus perspexit, quippe qui cum Socratem eiusque qui dicuntur discipulos tum in primis ipsum impugnet Platonem. Inde a Schleiermacheri, postquam rectam ille viam monstravit, usque ad nostram aetatem alii alia de consilio atque auctore libelli nostri proposuerunt. Atque quae Boeckhius[4]) non multum post Schleiermacherum de eo strictim professus est, non lubet negligere: „*Nec minus falsum est, quod spurium Clitophontem plerique omnes mutilatum putant, quem ex auctoris manibus truncum excidisse inde intelligitur, quod ne vetusti quidem Platonici philosophi, quibus antiquissima exemplaria ad*

1) Procl. in Tim. I p. 7. Diog. Laert. III 62. cf. etiam Synesii Dion. p. 57.

2) Yxem: „Über Plato's Kleitophon' Berlin 1846. Grote Plato III 23.

3) Plato's Werke II 3, 372.

4) In Platonis qui fertur Minoem p. 11.

manum erant, habuerunt integriorem (Procl. l. l.). Quos secuti Astius [1]), Socherus [2]) alii similia protulerunt. Nec non Steinhartus [3]) copiose egit de Clitophonte, qui ad eam denique pervenit sententiam, ut scriptum esse statuat librum Platonis aetate ab homine non ita philosophiam ipsam requirentem quam praecepta, quibus vitae usus conformetur. Cuius singula expendere argumenta, utpote nata praeoccupato de toto libro eiusque nonnullis locis iudicio supersedere possumus, praesertim cum iis quae mox prolaturi sumus, satis refellantur.

Hodie quae regnat sententia praeeunte Hermanno [4]) a Susemihlio [5]) prolata et argumentis confirmata est: conscriptum esse Clitophontem mortuo iam dudum Platone in ludo rhetorico, eodem fere modo, quo Socratis quae falso Xenophonti tribuitur apologia conflata est. Ad quam opinionem ideo pervenit Susemihlius, quia respicere nonnullos Clitophontis locos et Platonis quosdam et qui falso Platonis sub nomine feruntur libros arbitratur. Nostrum erit hanc argumentationem denuo examinare. Levioribus vero omissis ad gravissima statim nos convertamus. Quae in Clitophonte (409 d) de amoris et amicitiae utilitate disputentur, dicit Susemihlius [6]), vix intelligi posse, nisi Lysidem Platonis respici statuas. Videamus quid rei sit. Clitopho Socraticos deinceps interrogans, quid sit opus iustitiae, idem denique quaerit ex eo, qui ‚κομψότατα' loqui videbatur. Iustitiae esse, ille respondet, amicitiam in civitatibus procreare, amicitiam vero semper bonum esse nunquam malum: *τὰς δὲ τῶν παίδων φιλίας καὶ τὰς τῶν θηρίων, ἃς ἡμεῖς τοῦτο τοὔνομα ἐπονομάζομεν, οὐκ ἀπεδέχετο εἶναι φιλίας ἐπανερωτώμενος. συνέβαινε γὰρ αὐτῷ τὰ πλείω τὰς τοιαύτας βλαβερὰς ἢ ἀγαθὰς εἶναι. φεύγων δὴ τὸ τοιοῦτον οὐδὲ φιλίας ἔφη τὰς τοιαύτας εἶναι, ψευδῶς δὲ ὀνομάζειν αὐτὰς τοὺς οὕτως ὀνομάζοντας· τὴν δὲ ὄντως φιλίαν*

1) Plato's Leben und Schriften p. 500.
2) Über Platons Schriften p. 154—159.
3) Plato's Werke VII 1, p. 47—62.
4) Gesch. u. System der platon. Phil. p. 426.
5) Übersetzung von Platos Werken V 507—529.
6) l. l. p. 513.

εἶναι σαφέστατα ὁμόνοιαν. Quae comparanda sunt cum Lysidis p. 212 e: *Τὸ φιλούμενον ἄρα τῷ φιλοῦντι φίλον ἐστίν, ἐάν τε φιλῇ ἐάν τε καὶ μισῇ. οἷον καὶ τὰ νεωστὶ γεγονότα παιδία, τὰ μὲν οὐδέπω φιλοῦντα τὰ δὲ καὶ μισοῦντα, ὅταν κολάζηται ὑπὸ τῆς μητρὸς ἢ ὑπὸ τοῦ πατρός, ὅμως καὶ μισοῦντα ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ πάντων μάλιστά ἐστι τοῖς γονεῦσι φίλτατα.* Utroque loco de bestiarum et infantium quae dicitur amicitia loqui nemo non concedet; quo ceteroquin loci inter se cohaereant vinculo, equidem non assequor, immo prorsus alia eis continentur, cum quod strenue repellat Clitopho amicitiae nomen usurpari debere de infantium bestiarumque animi applicatione, Plato statuere non haesitet.

Quae statim sequitur definitio, amicitiam dico esse *ὁμόνοιαν*, cum apud Platonem nusquam inveniatur, eadem vero extet in primo Alcibiade pseudoplatonico, veri similius putat Susemihlius, Clitophontis auctorem pendere ex Alcibiade, quam Alcibiadis ex Clitophonte. Sed cum nos praefracte negemus, quod postea demonstraturi sumus, Clitophontem post Platonis aetatem conscriptum esse, neque de eius cum Lyside Platonis necessitudine nos ad suam sententiam perduxerit Susemihlius, restat, ut Alcibiadis auctor hauserit e Clitophonte, siquidem hausit. Sed ne hoc quidem concedendum est. Componamus ut extant locos. Clit. 409 e: *τὴν δὲ ὄντως καὶ ἀληθῶς φιλίαν εἶναι σαφέστατα ὁμόνοιαν. τὴν δὲ ὁμόνοιαν αὖ ἐρωτώμενος εἰ ὁμοδοξίαν λέγοι ἢ ἐπιστήμην, τὴν μὲν ὁμοδοξίαν ἠτίμαζεν κτέ.* Alcib. 126 c: *Ἆρ' οὖν τὴν φιλίαν λέγεις ὁμόνοιαν ἢ διχόνοιαν; Ὁμόνοιαν κτέ.* Iterum ea tantum est locorum collatorum necessitudo, ut utroque legatur vocabulum *ὁμόνοια*, alioquin plane inter se discrepent, cum in Alcibiade discordia consensui opposita sit, apud nostrum opinatio, in Alcibiade agatur de animi motu, de cognoscendi atque intelligendi ratione in Clitophonte.

Denique, monet Susemihlius, quae de Socrate narrat Clitopho p. 408 b, idem esse illum contendisse iustitiam atque iurisdictionem, ea nec inveniri apud Platonem et pugnare contra Gorgiam Platonis p. 464, ubi vel partem iustitiae iurisdictionem esse Plato explicet. Quae quamvis recto omnia talo

stent: unde, quaeso, colligere licet Socratis istam sententiam apud Platonem quaerendam esse, cum aperte Socratis tantum eam fuisse Clitopho nos doceat? Immo gratiam habeamus scriptori, qui tandem de ancipite illo Socrate historico, ut ita dicam, certioris aliquid nobis tradiderit, quae vestigia infra accuratius sumus investigaturi.

Ex his igitur argumentis de auctoritate Clitophontis nihil concludi posse apparet. Qua de re quid ipse expedivisse mihi videar, tempus erit explanare. Atque Platonem vel ut accuratius rem significem, Politiam Platonis spectari a Clitophonte non novum est inventum. Immo inde factum est, ut Thrasyllus in tetralogias dispertiens scripta Platonis, Reipublicae Clitophontem praefigeret. Simile aliquid Boeckhio et Rittero obversabatur, cum alter[1]) responsum Socratis in fine libelli addere voluisse scriptorem, alter[2]) exordium Politiae postea Platoni reiectum dialogum nostrum esse statueret. Proxime ad ea, quae ipse mihi persuasi, Oldenburgium[3]) accessisse video, cuius iudicium tum demum mihi innotuit, cum iam quae prolaturus sum omnia mihi constabant. Priusquam vero ad rem ipsam explicandam accedo, non ineptum fore censeo de indole atque consilio Clitophontis pauca praemonere, cum e verbis accuratissime interpretandis omnia pendeant.

Dividitur totus dialogus in duas partes facillime secernendas, quarum prior (cap. I—III) agit de Socrate, altera (cap. IV—VII) de eius qui dicuntur discipulis. Quod in capite septimo disputatio ad ipsum Socratem redire fingitur, id non ex veritatis sed ex artis quasi scenicae, qua in dialogo opus est, rationibus fieri mox apparebit. Introducitur Socrates e Clitophonte quaerens, qui factum sit, ut ille coram Lysia reprehendisset, quae ipse amicos docere soleret, Thrasymachum vero laudibus ad caelum efferret. Cui Clitopho respondet non recte se habere quae sibi exprobaverit, atque qua de causa

---

1) Index lectt. Berol. 1845.

2) Gesch. d. Phil. II 186.

3) De sacris fratrum Arvalium p. 53: Platonem primum de republica librum separatim edidisse censeo, quo edito priusquam ceteri libri emissi sunt, scriptus est Clitopho dialogus pseudoplatonicus.

et reprehenderit illum et laudaverit quoque, ipsi se explicaturum. Semper se summa cum admiratione Socratem cives audivisse adhortantem his fere verbis: Quo ruitis, homines, qui divitiis, quas filiis tradatis, coacervandis studetis, virtutem neglegentes qua ratione discant, siquidem disci potest, sin autem exerceri debet, quemadmodum exerceant et qu. sequ. Haec et alia quae Socrates dicere soleret se semper admiratum esse et admiraturum, sed semper quoque se animum attendisse, cur quae sequi deberent, negligeret. Quae ut comperiret discipulos illius primum se adiisse, quid sit cogitandum de Socratis illa ad virtutem adhortatione: *ὡς ὄντος μόνου τούτου, ἐπεξελθεῖν δὲ οὐκ ἔτι τῷ πράγματι καὶ λαβεῖν αὐτὸ τελέως, ἀλλ' ἡμῖν παρὰ πάντα δὴ τὸν βίον ἔργον τοῦτ' ἔσται τοὺς μήπω προτετραμμένους προτρέπειν καὶ ἐκείνους αὖ ἑτέρους; ἢ δεῖ τὸν Σωκράτη καὶ ἀλλήλους ἡμᾶς τὸ μετὰ τοῦτ' ἐπανερωτᾶν, ὁμολογήσαντας τοῦτ' αὐτὸ ἀνθρώπῳ πρακτέον εἶναι, τί τοὐντεῦθεν;* atque, sic pergit, si quis ut corpus exerceremus nos impelleret, et ex illo quaenam sit ars quaereremus, quae optimum reddat corpus, gymnasticam responderet et medicinam: *καὶ νῦν δὴ τίνα φαμὲν εἶναι τὴν ἐπὶ τῇ τῆς ψυχῆς ἀρετῇ τέχνην;* Respondisse e discipulis unum *ὃ δὴ δοκῶν αὐτῶν ἐρρωμενέστατος εἶναι'*, esse hanc artem de qua modo dixisset ipse Socrates iustitiam. Quod responsum non sufficit quaerenti nostro, ingenioso homini, qui non nomen audire flagitet, sed rem. Pergit igitur 409 b: *ἰατρική πού τις λέγεται τέχνη· ταύτης δ' ἐστὶ διττὰ τὰ ἀποτελούμενα, τὸ μὲν ἰατροὺς ἀεὶ πρὸς τοῖς οὖσιν ἑτέρους ἐξεργάζεσθαι, τὸ δὲ ὑγίειαν· καὶ τεκτονικῆς δὲ κατὰ ταὐτὰ οἰκία τε καὶ τεκτονικὴ τὸ μὲν ἔργον, τὸ δὲ δίδαγμα. τῆς δὲ δικαιοσύνης ὡσαύτως τὸ μὲν δικαίους ἔστω ποιεῖν, καθάπερ ἐκεῖ τοὺς τεχνίτας ἑκάστους· τὸ δ' ἕτερον, ὃ δύναται ποιεῖν ἡμῖν ἔργον ὁ δίκαιος, τί τοῦτό φαμεν; εἰπέ.* Hic quidem *τὸ συμφέρον* opus esse iustitiae respondet, alius *τὸ δέον*, alius *τὸ ὠφέλιμον*, alius *τὸ λυσιτελοῦν*. Quae omnia nequaquam sufficiunt Clitophonti, cum in ceteris quoque artibus insit recte vel accommodate facere: *ἀλλὰ πρὸς ὅ τι ταῦτα πάντα τείνει, ἐρεῖ τὸ ἴδιον ἑκάστη τέχνη· λεγέσθω δὴ καὶ τὸ τῆς δικαιοσύνης ὡσαύτως.* Respondet

denique qui lepidissime (κομψότατα) loqui videbatur iustitiae esse, quod nullius alius artis, amicitiam in civitatibus procreare. Is vero iterum interrogatus bonum amicitiam esse contendit, nunquam malum. Infantium autem bestiarumque quae dicantur amicitias falso hoc nomine appellari, quippe quae perniciosiores sint quam utiliores. Veram amicitiam esse animi consensum, non ex opinatione emanantem, sed e scientia, sicut idem esse contendat et amicitiam et consensum et iustitiam, scientiam, non opinationem. Tunc vero, ita pergit Clitopho, obverterunt qui aderant ad initium revertisse definitionem, cum et in medicina animi consensus insit et in una quaque arte. Atque quo spectent in nulla non apparere: *τὴν δὲ ὑπὸ σοῦ λεγομένην δικαιοσύνην ἢ ὁμόνοιαν ὅποι τείνουσά ἐστι, διαπέφευγε, καὶ ἄδηλον αὐτῆς ὅ τι ποτ' ἔστι τὸ ἔργον.*

Ultimum refugium se ipsum adiisse Socratem, quem primum amicos iuvare, nocere inimicis iustitiae esse respondisse audimus; postea vero nemini nocere fas apparuisse, omnia enim omnes utilitatis causa facere. Quae se non semel sed saepissime audientem desperasse denique de Socrate eiusque amicis, cum quae flagitavisset nequaquam praestarent. Nunc se animum despondentem Thrasymachum vel alium quemlibet aditurum, quia Socrates satisfacere sibi aut noluerit aut non potuerit.

Haec fere est indoles atque summa libelli. Iterum atque iterum quaeritur, quid sit opus iustitiae, quo spectet, quo tendat.

Iam vero una re obstupescamus necesse est: qui factum sit, ut nec Socrates nec alius respondendi vel defendendi arripiat occasionem; quod miratus Ritterus libellum a Platone non confectum esse opinatus est. Cuius offensioni aliae accrescunt difficultates, quae veritatis speciem minime ferunt. Subito enim quasi de caelo delapsi exsurgunt *οἱ παρόντες* (p. 410 a), quorum antea nec vola adest nec vestigium. Porro quae sequuntur p. 410 b: *ταῦτα δὲ οὐχ ἅπαξ οὐδὲ δὶς ἀλλὰ πολὺν δὴ ὑπομείνας χρόνον κτἑ.* quid sibi volunt? Quid significat illud *ταῦτα*? Num ad antecedentia pertinet ita, ut saepius Socratem primum quidem nocendum hostibus, tum ne

hostibus quidem nocendum esse docuisse Clitopho narret? Immo quod quaeritabat adhuc se nondum reperisse dicit. Sed si saepius ex iisdem quaesiverat, cur non quod iterum responderant, audimus? An idem atque idem hariolati sunt?

Quas difficultates facillime enodari videbis, si non iam de sermonibus re vera habitis cogitare placet, sed de Socraticorum placitis in libris provulgatis. Ficta quoque non vera est tota Clitophontis cum Socrate disputatio, ficta totius dialogi forma.

His peractis ad ipsam accedamus quaestionem nostram: quinam quorumnam libri tecte sint significati, unde et de tempore et de ingenio scriptoris non pauca elucebunt.

Ταῦτα, ὦ Σώκρατες, ἐγὼ τελευτῶν καὶ σὲ αὐτὸν ἠρώτων, καὶ εἶπές μοι δικαιοσύνης εἶναι τοὺς μὲν ἐχθροὺς βλάπτειν, τοὺς δὲ φίλους εὖ ποιεῖν. ὕστερον δὲ ἐφάνη βλάπτειν γε οὐδέποτε ὁ δίκαιος οὐδένα· πάντα γὰρ ἐπ' ὠφελείᾳ πάντας δρᾶν. Itane vero? Docuitne re vera iam Socrates quod simillimum est sancto Christi praecepto: hostes amatote, an Platonis demum ut alia hoc quoque palmare est inventum? Quae traduntur hac de re a Xenophonte et a Platone ad quaestionem dirimendam minime sufficiunt, quod vel Zellerus [1]) concedere coactus est. Plato autem duobus locis quid Socrati vel sibi ipsi potius visum sit, expedivit. In Critone dialogo p. 49 a sqq., ubi iam saepius idem se docuisse narrat [2]) et in Republica

---

1) Phil. d. Gr. IIa 143.

2) Respicitur sine dubio praeter primum Reipublicae librum Gorgias Platonis, quem dialogum ante Critonem scriptum esse certis argumentis expediri potest. Continet enim doctrinam moralem ut ita dicam minus Platonicam quam Crito atque Politias liber primus, cum quibusdam sub condicionibus admittat τὸ κακῶς ποιεῖν 480 e: τοὐναντίον δέ γε αὖ μεταβαλόντα, εἰ ἄρα δεῖ τινα κακῶς ποιεῖν, εἴτ' ἐχθρὸν εἴτε ὁντινοῦν κτἑ. sicut gradatim Plato recessisse videatur a vulgari Graecorum placito: δίκαιον εἶναι τοὺς μὲν φίλους εὖ ποιεῖν, τοὺς δ' ἐχθροὺς βλάπτειν, cuius progressus Euthyphronem quoque dialogum unum esse gradum Wilamowitzius animadvertit (Phil. Unters. I 219). Crito vero perfectam atque absolutam hanc doctrinam praebet, atque cum saepius iam de eadem re se egisse Plato commemoret (49 a) non dubito, quin post primum quoque Reipublicae librum Crito sit editus.

p. 334 sqq., quae disputatio, quin post Gorgiam scripta sit, dubitari non potest[1]). Vide utrum locum in Clitophonte respici tibi praeplaceat. Si quae antea monui memoria tenes pertinere alteram Clitophontis partem ad colloquia libris provulgata, adice quod singulas adeo illorum stationes persequi licet. Qui enim tangitur l. l. dialogus, primum hostibus noceri debere statuerat, postea nemini fas esse evincens, quae mirum quantum quadrant in primum Reipublicae librum. Porro si placet recorderis quam antea Clitophontis statuimus summam: Quid sit opus iustitiae, quid spectet, quo tendat frustra se saepius interrogasse. Quid? Num e Gorgia, e Critone, e primo Reipublicae libro tu discis quale sit quod quaeritur opus? Ecce frustra exspectantem et quaerentem, sane non ex ipso Socrate, sed e Platone. Quodsi etiam nunc concedere haesitas spectari Politias Platonis librum primum, unum proferam, quo audito omnes dubitationes evanescant necesse est: eaedem quae apud Platonem apud nostrum inducuntur personae: Socrates, Clitopho, Lysias, qui tecte significatur apud Platonem, nominatur in Clitophonte, Thrasymachus denique, qui vilissimi despectissimique sophistae apud Platonem est imago, apud nostrum desperantis hominis ad extremum auxilium descendentis refugium.

Vides igitur Socratem ‚ipsum' (αὐτόν) 410 a non eum appellari, qui re vera vixit, sed qualem finxit in colloquiis scriptis Plato: Platonicum demum hunc verum esse et genuinum Socratem; hoc est, opus a Socrate incohatum sed non perfectum a Platone demum et a solo Platone ulterius reapse esse provectum, attamen ab hoc quoque tum nondum ad ultimum finem esse perductum recte intellexit Clitophontis scriptor: Platonis libros vel de iustitia potius dialogum, qui nunc Politias est liber primus, ut adierat tamquam fontem limpidissimum, ita eundem Platonem precibus adit in hoc libello, ut, si queat, quae ne ipse quidem satis adhuc praestiterit,

1) cf. quae Susemihlius sagacissime exponit genet. Entw. IIª 104. Lubentius in dies in Wilamowitzii castra transeo, qui Gorgiam non diu post mortem Socratis editum esse nuperrime probare conatus est l. l. I p. 218.

certe posteriore tempore et mox sit praestiturus: si enim hic ipse nequeat, de omni vera philosophia se esse desperaturum.

Iam de aliis quoque Socraticis eorumque scriptis videamus. Et *κομψότατον* quidem illum 409 d ipsum Platonem esse Schleiermacherus suspicatus est [1]), sed hoc falsissimum esse iam inde elucet, quia quae sequuntur potius ad illum pertinere modo demonstravimus. Quae extant insuper hoc loco placita nequaquam sunt Platonis, ut optime animadvertit Susemihlius [2]). Sed ne longus sim, Antisthenem intelligendum esse mihi persuasi hac adductus ratiocinatione: Scriptus est Clitopho, quod infra apparebit, anno fere 390. Quo sane tempore Athenis quis praeter Platonem *κομψότατος* vocari potuerit, equidem non novi. Significat enim illud vocabulum nostro loco idem quod *σοφιστικός*, Antisthenes vero cum artem rhetoricam tradere professus erat [3]), tum suavissimae erat eloquentiae [4]). Quae autem de doctrina eius comperimus in Clitophonte, tam similia sunt placitis Platonis, ut mirum non sit nostra fuisse aetate, qui ad Platonem caput nostrum referrent. Traditur autem a veteribus exscriptos a Platone esse Antisthenis libros [5]), quod quamquam vile commentum esse nemo non videt, tamen veri granum inerit iam olim, qui legebant scripta utriusque, obstupuisse similitudine quae in iis conspiciebatur. Cuius quae nunc etiam reperiri possint vestigia, non ineptum erit, perscrutari.

De duobus Lysidis atque Alcibiadis locis iam supra disputatum est. Unum vero utpote gravissimum valde miror cur omnes, quotquot de Clitophonte scripserunt, sicco pede transierint, quem mihi ipsi satis diu dubitationem iniecisse fateor, utrum cohaereat quodammodo cum Clitophonte necne. Dico Platonis de rep. I p. 351 c sqq. Exscribam locum omissis levioribus: *δοκεῖς ἂν ἢ πόλιν ἢ στρατόπεδον ἢ λῃστὰς ἢ κλέπτας*

1) cf. Susemihl praef. in Clit. p. 507.
2) l. l. p. 513 et 514.
3) Laert. Diog. VI 1, 2.
4) Laert. Diog. VI 1, 14; Diodor. XV 76.
5) Theopompus [fr. 279] apud Athen. XI 508 c.

ἢ ἄλλο τι ἔθνος, ὅσα κοινῇ ἐπί τι ἔρχεται ἀδίκως, πρᾶξαι ἄν τι δύνασθαι, εἰ ἀδικοῖεν ἀλλήλους; Οὐ δῆτα. Τί δὲ εἰ μὴ ἀδικοῖεν; οὐ μᾶλλον; Πάνυ γε. Στάσεις γάρ που, ὦ Θρασύμαχε, ἥ γε ἀδικία καὶ μίση καὶ μάχας ἐν ἀλλήλοις παρέχει, ἡ δὲ δικαιοσύνη ὁμόνοιαν καὶ φιλίαν. ἦ γάρ; Ἔστω, ἦ δ' ὅς, ἵνα σοι μὴ διαφέρωμαι. Ἀλλ' εὖ γε σὺ ποιῶν, ὦ ἄριστε. τόδε δέ μοι λέγε· ἆρα εἰ τοῦτο ἔργον ἀδικίας, μῖσος ἐμποιεῖν ὅπου ἂν ἐνῇ, οὐ καὶ ἐν ἐλευθέροις τε καὶ δούλοις ἐγγιγνομένη μισεῖν ποιήσει ἀλλήλους καὶ στασιάζειν καὶ ἀδυνάτους εἶναι κοινῇ μετ' ἀλλήλων πράττειν; Πάνυ γε. Τί δέ; ἂν ἐν δυοῖν ἐγγένηται, οὐ διοίσονται καὶ μισήσουσι καὶ ἐχθροὶ ἔσονται ἀλλήλοις τε καὶ τοῖς δικαίοις; Ἔσονται, ἔφη. Ἐὰν δὲ δή, ὦ θαυμάσιε, ἐν ἑνὶ ἐγγένηται ἀδικία, μῶν μὴ ἀπολεῖ τὴν αὑτῆς δύναμιν, ἢ οὐδὲν ἧττον ἕξει; Μηδὲν ἧττον ἐχέτω, ἔφη. Οὐκοῦν τοιάνδε τινὰ φαίνεται ἔχουσα τὴν δύναμιν, οἵαν, ᾧ ἂν ἐγγένηται, εἴτε πόλει τινὶ εἴτε γένει εἴτε στρατοπέδῳ εἴτε ἄλλῳ ὁτῳοῦν, πρῶτον μὲν ἀδύνατον αὐτὸ ποιεῖν πράττειν μεθ' αὑτοῦ διὰ τὸ στασιάζειν καὶ διαφέρεσθαι, ἔτι δ' ἐχθρὸν εἶναι ἑαυτῷ τὸ καὶ τῷ ἐναντίῳ παντὶ καὶ τῷ δικαίῳ; οὐχ οὕτως; Πάνυ γε. Καὶ ἐν ἑνὶ δή, οἶμαι, ἐνοῦσα ταῦτα πάντα ποιήσει, ἅπερ πέφυκεν ἐξεργάζεσθαι: πρῶτον μὲν ἀδύνατον αὐτὸν πράττειν ποιήσει στασιάζοντα καὶ οὐχ ὁμονοοῦντα αὐτὸν ἑαυτῷ, ἔπειτα κτἑ. Quibuscum componas Clitophontis p. 409 d: ... ὅτι τοῦτ' εἴη τὸ τῆς δικαιοσύνης ἴδιον ἔργον, φιλίαν ἐν ταῖς πόλεσι ποιεῖν ... τὴν δὲ ὄντως καὶ ἀληθῶς φιλίαν εἶναι σαφέστατα ὁμόνοιαν ... τὴν δὲ φιλίαν ἀγαθὸν ὡμολογήκει πάντως εἶναι καὶ δικαιοσύνης ἔργον ... Quae si brevissime excerpta atque congesta esse e longiore disputatione reputaveris, simillimum fuisse quem spectat Clitopho librum atque Platonis locum laudatum facile concedes. Atque de titulo quoque libri Antisthenei certiores fieri possumus, cum περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας tres libros illum composuisse Diogenes tradat [1]), e quibus quin deprompta sint Clitophontis verba, non dubito. Quod si recte disputavimus, alia evadit difficultas. Fieri non potuisse quispiam

1) VI 1, 9.

dixerit, quin nostrum Platonis locum indicaret Clitopho, cum de opere iustitiae verba faceret. Itaque eum aut non novisse Rempublicam Platonis aut neglegentia factum esse, ut apertam illius disputationem de opere iustitiae habitam praetermitteret. Quae dubitationes ipsius Platonis verbis optime possunt refelli. Nam cum dicit Plato: *ἀδύνατον αὐτὸν πράττειν ποιήσει* (*ἡ ἀδικία*) *στασιάζοντα καὶ οὐχ ὁμονοοῦντα αὐτὸν ἑαυτῷ*, haec verba nil nisi externam afferunt causam, cur iniustus ille facere nequeat: cum a se ipso dissentiat, rectum atque honestum non assequitur. Idem igitur enuntiatum quod antea (351 d) ‚*ἔργον ἀδικίας*' continet: *μῖσος ἐμποιεῖν, ὅπου ἂν ἐνῇ*, hic nequaquam opus iustitiae indicare, sed qua de causa iniusti fiant homines expedire elucet. Quam notionum confusionem nego Platonem commissurum fuisse, si conscius fuisset Clitophontis de opere iustitiae interrogationis ita ut iterum confirmetur scriptum esse Clitophontem post primum Reipublicae Platonis librum.

Iam perspicies cur non hunc Platonis locum afferat Clitopho, ubi indicare vult Platonem: eadem enim definitio iustitiae esse ‚*φιλίαν ἐν ταῖς πόλεσι ποιεῖν*' iam ad Antisthenem significandum praerepta erat. Atque sufficiebat laudare Platonis illud egregium inventum: *βλάπτει οὐδέποτε ὁ δίκαιος οὐδένα* (Clit. 410 b; de rep. 335 d) ut quilibet illum tantum intelligi perspiceret.

Sed de Antisthene hactenus. Restat, ut de tertio illo, quem Clitopho tecte significat (409 a) disseramus. De quo lubrica est quaestio, cum vestigia eius non satis expressa sint, ut quisnam fuerit, possit diiudicari: *Ὁ δὴ δοκῶν αὐτῶν ἐρρωμενέστατος εἶναι πρὸς ταῦτα ἀποκρινόμενος εἶπέ μοι ταύτην τὴν τέχνην εἶναι, ἥνπερ ἀκούεις σὺ λέγοντος, ἔφη, Σωκράτους, οὐκ ἄλλην ἢ δικαιοσύνην . . . τὸ δ' ἕτερον, ὃ δύναται ποιεῖν ἡμῖν ἔργον ὁ δίκαιος, τί τοῦτό φαμεν, εἰπέ. οὗτος μέν, ὡς οἶμαι, τὸ συμφέρον ἀπεκρίνατο.* Quae igitur de eius doctrina comperimus, sunt fere haec: artem quae ad animae virtutem nos producat, esse iustitiam, eiusque opus id quod utile sit. Sed iam Socrates ipse iustitiam utpote summam virtutem pro ipsa virtute usurpavit, quod et Plato et reliqui eius discipuli in

suum usum verterunt. Nec inde quod utilitatem iustitiae opus indicat, certiores fieri possumus; idem enim est placitum Socratis [1]). Una igitur restat tenuis ansa, *ἐρρωμενέστατον* eum vocari, quod parum nos iuvat. Si suspicari licet, Aristippum et Euclidem equidem propono, quorum uterque arte dialectica excelluisse traditur [2]).

Cum vero iam iste quisnam fuerit, difficillimum sit diiudicatu, de reliquis, qui commemorantur, Socraticis (409 c) omnem spem abicio. Nam quod alius *τὸ δέον* alius *τὸ ὠφέλιμον* alius *τὸ λυσιτελοῦν* opus esse iustitiae confirmat, ansam nullo modo praebet, quae vocabula utile significantia quin iam Socrates utcunque libebat usurpaverit, non dubito [3]).

Sed postquam de libris a Clitophonte adhibitis quantum fieri potest, certiores facti sumus, alia de tempore dialogi circumspiciamus argumenta, num ex ipso dialogo colligi possint. Quibus non plane caremus. Summi enim sunt momenti quae p. 407 b exstant verba: *καὶ οὔτε διδασκάλους αὐτοῖς εὑρίσκετε τῆς δικαιοσύνης, εἴπερ μαθητόν· εἰ δὲ μελετητόν τε καὶ ἀσκητόν, οἵτινες ἐξασκήσουσι καὶ ἐκμελετήσουσι ἱκανῶς· οὐδέ γ' ἔτι πρότερον ἡμᾶς αὐτοὺς κτἑ.*

Socratem docuisse atque Socraticos virtutem doceri posse nemo nescit [4]). Isocrates vero qui ab initio idem tradiderat, mox a Socraticis se abdicans prorsus contrarium professus est. Quodsi noster Socrati Isocratis imputare videtur sententiam, id nobis tantum ita videtur. Aequalibus nimirum statim constabat de suo Clitophontem addere hanc dubitationem. Quae res certissima fit alio Clitophontis loco 408 b: *Τούτοις δὴ τοῖς λόγοις καὶ ἑτέροις δὴ τοιούτοις παμπόλλοις καὶ παγκάλως λεγομένοις ὡς διδακτὸν ἀρετὴ* [5]) *καὶ πάντων ἑαυτοῦ δεῖ*

1) cf. Zeller Phil. d. Gr. II a 133.

2) Diog. Laert. II 8, 3 et II 10, 2. Neque adversabor tibi, si de Phaedone Eleo cogitare Diogenes te movit.

3) cf. Plato de rep. p. 336 d.

4) cf. praeter alia Xenoph. Mem. III 9 et quae Reinhardtius: 'de Isocratis aemulis' p. 30—35 hac de re scite exposuit.

5) Meno Platonicus, de quo quis facile hoc loco cogitaverit, nihil continet, quod huc referri possit.

μάλιστα ἐπιμελεῖσθαι, σχεδὸν οὔτ' ἀντεῖπον πώποτε οὔτ' οἶμαι μήποθ' ὕστερον ἀντείπω. Male personam suam tuetur Clitopho, cum hic posse doceri virtutem dicentem faciat Socratem, quem supra dubitantem introduxerat.

Quae cum ita sint, optimo iure concludimus scriptum esse Clitophontem, cum non iam diu exarserat controversia illa Platonem inter et Isocratem, quod factum est Isocratis oratione contra sophistas edita anno fere 390 [1]). Porro id quoque lucramur sprevisse Clitophontis auctorem doctrinam Isocratis.

Aliud argumentum Xenophontis sunt verba Mem. I 4, 1: *Εἰ δέ τινες Σωκράτην νομίζουσιν, ὡς ἔνιοι γράφουσί τε καὶ λέγουσι περὶ αὐτοῦ τεκμαιρόμενοι, προτρέψασθαι μὲν ἀνθρώπους ἐπ' ἀρετὴν κράτιστον γεγονέναι, προαγαγεῖν δ' ἐπ' αὐτὴν οὐχ ἱκανόν, σκεψάμενοι μὴ μόνον, ἃ ἐκεῖνος κολαστηρίου ἕνεκα τοὺς πάντ' οἰομένους εἰδέναι ἐρωτῶν ἤλεγχεν, ἀλλὰ καὶ ἃ λέγων συνημέρευε τοῖς συνδιατρίβουσιν δοκιμαζόντων εἰ ἱκανὸς ἦν βελτίους ποιεῖν τοὺς ἀνθρώπους.* Fuere post Socratis mortem qui sophistarum more de causa eius rixarentur. Quorum Polycratem fuisse scholiasta ad Aristidem nos docet, ut qui accusationem Socratis scripserit, quae cum omnium in manibus versaretur, Isocratis excitavit invidiam [2]) Lysiamque commovit, ut edita ‚apologia' defendere Socratem conaretur [3]). Vehementissima igitur pugna fuisse videtur atque dignissima, cui bonus quisque animum adverteret. Itaque Xenophon quoque facere non potuit, quin hac de re verba faceret [4]), sed Polycratem ab eo intellectum esse, cum scriberet ‚*ὡς ἔνιοι γράφουσί τε καὶ λέγουσι*' praefracte nego. Nam quod narrat testimonia illos de Socrate dixisse (*περὶ αὐτοῦ τεκμαιρόμενοι*)

---

1) cf. Reinhardt l. l. p. 4 sqq.

2) Cobet N. L. p. 726 sqq. Dindorf Xenoph. Mem. p. XXIII sqq.

3) Schol. Aristid. de IV viris p. 480 Dind.

4) Quod Cobetus, qui ex Aristidis scholiis totam hanc rem in lucem protraxit, eo procedit, ut Xenophontis commentarios contra unius Polycratis nugas scriptum esse existimet, contra hanc falsissimam argumentationem Breitenbachius (Jahn's Jahrbb. Bd. 99) tam scite et copiose disputavit, ut longiora supersedere possim.

multo acrius invecturus erat in Polycratem, si illius spectasset vilia commenta. Immo de indole libri ad quem pertinent Xenophontis verba, ampliora eruere licet. Adhortari tantum ad virtutem, adducere vero ad eam non potuisse Socratem auctor ille contenderat. Porro id tantum quod castigandi causa cives interrogabat, protulerat, neglexerat quae discipulos docere solebat. Quae omnia ad verbum fere quadrant in Clitophontem, qui prorsus eadem ratione de Socrate disputat. Ante editum igitur Xenophontis librum dialogus noster conscriptus est, eodem fere tempore, quo Polycratis accusatio in vulgus prodiit, anno fere 390 [1]).

Ad Clitophontem pertinere Xenophontis locum laudatum, Grotius quoque contendit unde genuinum esse Clitophontem sibi sumit. Cui obloquitur Krohnius: ‚Socrates u. Xenophon' p. 2, ab interpolatoribus cum hunc, quem adscripsi locum, tum maximam totius libri partem additam esse contendens. Quam non e re erit refellere sententiam cum ea nitatur quodammodo Krohnius in coniecturis de Republica Platonis prolatis, quae nobis infra erunt examinandae.

Est igitur Krohnii sententia depravatum esse atque refertum librum Xenophonteum putidissimis interpolationibus, quippe quae nec grammatica vel logica ratione cohaereant cum perbrevi libro genuino, nec ingenium respirent Xenophontis ex aliis eius scriptis in primis Cyropaedia effulgens. Contra quod iudicium in universum de Xenophonte prolatum rixare aliis condono, cum non meum existimem de gustibus disputare. Ea tantum in animo est examinare, quae arte critica sunt diiudicanda, grammatica atque logica.

Atque primum quidem vocabula *προτρέπεσθαι* et *προάγειν* (Mem. I 4, 1) aliena esse a Xenophonte Krohnius dicit. Quod recte monet, quamquam talia apud Xenophontem offendere non debent. Sed ‚*προτρέπεσθαι*' e Clitophonte sumpsit Xenophon et ‚producere' ad virtutem Socratem non potuisse (*προαγαγεῖν*) ex eodem emanavit fonte. (*ἐμπόδιον τοῦ πρὸς τέλος*

1) de Polycrate cf. Sauppe oratt. Att. p. 203 sqq. et p. 222. Blass att. Beredskt. I 341 sqq. 423 sqq. II 225 sqq. 337 sqq. Susemihl. Abf. d. plat. Phaedr. p. 709.

ἀρετῆς ἐλθόντα εὐδαίμονα γενέσθαι Clit. 410 e et saepius.) Quae vero flagitat a Socrate Clitopho [1]), sane nec Xenophon assecutus est, quod manifesto apparet ex ipsius quae adscripsi verbis, nec unquam alius praeter Platonem.

Sed transeo ad graviora Krohnii argumenta [2]): Quae insit religio atque de diis sententia in capite I 4, tota caelo esse diversam a Socratis doctrina, immo Stoicorum redolere placita. Usurpari diversissima deorum nomina. Quod si circumspicere placet, quivis facit huius aetatis scriptor, cuius rei exempla afferre supervacaneum est.

Sed unum esse deum in hoc capite contendi eumque appellari *ἐξ ἀρχῆς ποιῶν ἀνθρώπους, σοφὸς καὶ φιλόζῳος δημιουργός, ζῷα εἶναι βουλευσάμενός τις*, denique *πρόνοια* eiusque opera *προνοητικῶς πεπραγμένα*. Quae providentia ante omnia offendit Krohnium, quippe cui, ut recte monuerit Lennepius (ep. Phalar. ed. II p. 165) nemo ante Stoicorum tempora rerum omnium fictrici ac moderatrici tribuerit actionem. Atque scite Lennepium hoc monuisse ego quoque dico, sed quae e Xenophonte emersit providentia omnium rerum fictrix, perversa nata est Krohnii interpretatione. Quae ut bene perspicias quid contineatur capite I 4 breviter explanem oportet. Audisse se, narrat Xenophon, Socratem de deorum natura disputantem cum Aristodemo, qui cultum deorum neglegebat. Quisnam admirabilior tibi videtur, illum interrogasse Socratem, qui procreat res rationis expertes (pictores dicit vel omnino artifices) an qui praeditas ratione atque cogitantes. Qui cogitantes nimirum, si quidem non casu sed data opera procreantur (*μὴ τύχῃ τινὶ ἀλλ' ἀπὸ γνώμης*) [3]). Sin autem duarum rerum altera manifesto indicat, quem ad finem procreata sit, altera minime: utra est praedita ratione? (*Πότερα τύχης καὶ πότερα γνώμης ἔργα κρίνεις;*) Ar.: Quae quem ad finem procreata sit, potest indicare. Socr.: Videturne tibi qui initio homines fieri iussit, certo consilio sensus iis tribuisse, os,

---

1) cf. infra p. 18 sqq.

2) l. l. p. 7—21.

3) ὑπὸ γνώμης Dind. ἀπό, quod exstat in cod. A, e more Xenophontis scribendum est. cf. Hiero I 28. Anab. II 5, 7. Resp. Lac. V 29.

aures, oculos? *Πρὸς δὲ τούτοις* (§ 6) *οὐ δοκεῖ σοι καὶ τάδε προνοίας ἔργοις ἐοικέναι, τὸ ἐπεὶ ἀσθενὴς μέν ἐστιν ἡ ὄψις, βλεφάροις αὐτὴν θυρῶσαι κτἑ. . . . ταῦτα οὕτω προνοητικῶς πεπραγμένα ἀπορεῖς πότερα τύχης ἢ γνώμης ἔργα ἐστίν;* Opponuntur igitur fors et consilium, tum consilium mutatur cum providentia, denique iterum usurpatur consilium. Insuper eundem habent locum atque consilium 'providenter facta' et 'consilii opera', idem igitur valent consilium et providentia, quippe propriae dei virtutes, non ipse deus. Sunt igitur formae *τύχης, γνώμης, προνοίας ἔργα*, ut vulgaris grammaticae utar dictione, non genetivi auctoris sed qualitatis, qua ratiocinatione tota corruit Krohnii argumentatio.

Alius eiusdem capitis, qui Stoicorum respiret doctrinam, est § 17: *οἴεσθαι οὖν χρὴ καὶ τὴν ἐν παντὶ φρόνησιν τὰ πάντα ὅπως ἂν αὐτῇ ἡδὺ ᾖ, οὕτω τίθεσθαι.* Xenophon si mundum dicit, *τὰ πάντα* dicit, quod hic quoque flagitatur sequentibus *τὰ πάντα.* Natum est *τῷ παντί* Hindenburgii coniectura, quod non innotuisse videtur Krohnio. Quodsi scribis *τὴν ἐν τοῖς πᾶσι φρόνησιν* vel tale quid, de vi immanente cogitare nihil movet. Plane eodem sensu paullo post dicitur: *τὴν τοῦ θεοῦ φρόνησιν ἱκανὴν εἶναι ἅμα πάντων ἐπιμελεῖσθαι.*

Placitum suum 'τὸ δαιμόνιον' apud Xenophontem non de numine divino sed de oraculo tantum Socratis quod dicitur usurpari, non consentire vidit Krohnius cum Xenophontis Mem. IV 3. Sed hoc quoque caput spurium esse contendit, in quo quasi manus interpolatoris sit cognoscenda. Quem ad finem componendum est cum Mem. I 2, 17: *ἴσως οὖν εἴποι τις ἂν πρὸς ταῦτα ὅτι ἐχρῆν τὸν Σωκράτη μὴ πρότερον τὰ πολιτικὰ διδάσκειν ἢ σωφρονεῖν. ἐγὼ πρὸς τοῦτο μὲν οὐκ ἀντιλέγω. πάντας δὲ τοὺς διδάσκοντας ὁρῶ αὐτοὺς δεικνύντας τε τοῖς μανθάνουσιν, ᾗπερ αὐτοὶ ποιοῦσιν ἃ διδάσκουσι καὶ τῷ λόγῳ προσβιβάζοντας. οἶδα δὲ καὶ Σωκράτη δεικνύντα τοῖς συνοῦσιν ἑαυτὸν καλὸν κἀγαθὸν ὄντα καὶ διαλεγόμενον κάλλιστα περὶ ἀρετῆς καὶ τῶν ἄλλων ἀνθρωπίνων· οἶδα δὲ κἀκείνω* (Critiam et Alcibiadem) *σωφρονοῦντε ἔστε Σωκράτει συνήστην οὐ φοβουμένω μὴ ζημιοῖντο ἢ παίοιντο ὑπὸ Σωκράτους, ἀλλ' οἰομένω τότε κράτιστον εἶναι τοῦτο πράττειν.*

Quod quis crimen inferre Socrati poterat, dicit Krohnius, moderationem discipulos docendos fuisse, priusquam de republica administranda instituerentur, ita refellit Xenophon, ut nil iam doceri posse dicat, si omnia penderent ex adulescentium virtute. Cum qua sententia minime convenire, quae leguntur Mem. IV 3, 1: *τὸ μὲν οὖν λεκτικοὺς καὶ πρακτικοὺς καὶ μηχανικοὺς γίγνεσθαι τοὺς συνόντας οὐκ ἔσπευδεν, ἀλλὰ πρότερον τούτων ᾤετο χρῆναι σωφροσύνην αὐτοῖς ἐγγενέσθαι.* Quae sane toto caelo sunt diversa. Sed hic quoque falso interpretatus est Krohnius. Inest vitium in vocabulis (I 2, 17): *ἴσως οὖν εἴποι τις ἂν πρὸς ταῦτα, ὅτι ἐχρῆν τὸν Σωκράτη μὴ πρότερον τὰ πολιτικὰ διδάσκειν ἢ σωφρονεῖν*, quae non significant: non debebat Socrates rationem civilem docere antequam moderationem docuisset, sed antequam moderati redditi essent adulescentes, vel, ut hic quoque grammaticam significem structuram, *πρότερον* — *ἤ* idem valet quod *πρίν* [1]). Quae cum ita sint, illa capita nequaquam discrepant.

Sed quamquam quae protuli persuadere nobis non potuit Krohnius, tamen de Socrate historico, ut ita dicam, optime meruit, cum quam Zellerus de illo dedit expositionem, sibi non constare probaverit. Atque vereor, ne quo magis ea invalescit sententia Phaedrum Platonicum scriptum esse anno 402 [2]), eo magis Platoni fidem de Socrate historico abrogemus. Quod quidem Clitophontem qui scripsit Socratis persona uti poterat, ut placito aperte Platonico significaret Platonem mirum quantum iuvat eorum sententiam, qui ab ultimo initio pulchriorem quam veriorem a Platone redditam esse putant Socratis imaginem. Atque quo, quaeso, iure Clitophontis auctor ut ipsum Socratem introducere poterat Platonem, si non cuivis legenti in mentem veniebat illum fuisse qui Socratem dialogi personam creasset [3])? Sed quod inde sequitur Platonis demum

---

1) Saepe haec structura occurrit apud Herodotum cf. I 72, 1; VII 2, 1; IX 16, 3, rarius apud Thucydidem cf. VI 58, 1.

2) Quae sententia valde mihi arridet. Cf. de ea: Usener ‚Abfassungszeit d. plat. Phaedrus'. Rh. M. N. F. XXXV p. 131; de Wilamowitz l. l. p. 213. Contrariae defensor Susemihlius extitit: ‚Die Abfassungszeit d. plat. Phaedr.' Jahrbb. für class. Phil. Jahrg. 1880 p. 707.

3) cf. de Wilamowitz l. l. p. 218.

esse illud: *βλάπτει οὐδέποτε ὁ δίκαιος οὐδένα*, si exempli gratia e Critone Platonico, quem merum redolere Socratem vulgo putant, resecueris, vide quid restet. Duae sunt causae, quas Socrates opponit Critoni fugam e carcere suadenti: et omnino iniuste facere nefas esse, neque leges esse violandas. Prius illud de suo addidit Plato, alterum ipsius est Socratis, quod saepius testatur Xenophon [1]). Unus vero exstat liber, in quo verum expressisse Socratem debet: apologia quae dicitur Socratis, in qua doctrinae illius de qua agimus proprie Platonicae nec vola inest nec vestigium. Inest autem locus, qui nostram probet iudicium idem fuisse e Socratis sententia iniustum esse atque legibus male parentem Apol. 29 b: *τὸ δὲ ἀδικεῖν καὶ ἀπειθεῖν τῷ βελτίονι καὶ θεῷ καὶ ἀνθρώπῳ, ὅτι κακὸν καὶ αἰσχρόν ἐστιν οἶδα.* Quae cum ita sint vide num Socratem virtutem per se commendasse credas; equidem non possum credere.

Sed redeamus a longa hac digressione ad ea quae imprimis sunt conficienda. Scriptum esse Clitophontem post editum Reipublicae librum primum probavimus. Atque responsum iri ad id quod iterum iterumque quaerit Clitopho a Platone in primis expectat. Nam hac opinor de causa et ultimo loco ille nominatur et iisdem quibus Plato Clitopho utitur personis.

Deditne vero Plato quod expectatur responsum? Retractatur ex integro initio libri secundi Politias Thrasymachi placitum a Glaucone et Adimanto p. 358 b: *Θρασύμαχος γάρ μοι φαίνεται πρῳαίτερον τοῦ δέοντος ὑπὸ σοῦ ὥσπερ ὄφις κηληθῆναι, ἐμοὶ δὲ οὔπω κατὰ νοῦν ἡ ἀπόδειξις γέγονε περὶ ἑκατέρου* (sc. *δικαιοσύνης καὶ ἀδικίας*). *ἐπιθυμῶ γὰρ ἀκοῦσαι τί τ' ἔστιν ἑκάτερον καὶ τίνα ἔχει δύναμιν αὐτὸ καθ' αὑτὸ ἐνὸν ἐν τῇ ψυχῇ, τοὺς δὲ μισθοὺς καὶ τὰ γιγνόμενα ἀπ' αὐτῶν ἐᾶσαι χαίρειν.*

---

1) Mem. IV 6, 6 et ante omnia IV 4, 5 sqq., qui locus praeterea aliud testatur: iam Socratis fortasse illud fuisse 'δικαιοσύνης εἶναι φιλίαν ἐν ταῖς πόλεσι ποιεῖν' (cf. in primis § 16 et 17) quod cum supra Antistheni e Clitophonte assignaverimus, desumpsisse illum a Socrate patet, quem ceteroquin quoque praeter rationem logicam merum expressisse videtur.

366 e: ... πάντων ὑμῶν, ὅσοι ἐπαινέται φατὲ δικαιοσύνης εἶναι, ἀπὸ τῶν ἐξ ἀρχῆς ἡρώων ἀρξάμενοι, ὅσων λόγοι λελειμμένοι, μέχρι τῶν νῦν ἀνθρώπων οὐδεὶς πώποτε ἔψεξεν ἀδικίαν οὐδ' ἐπήνεσε δικαιοσύνην ἄλλως ἢ δόξας τε καὶ τιμὰς καὶ δωρεὰς τὰς ἀπ' αὐτῶν γιγνομένας· αὐτὸ δ' ἑκάτερον τῇ αὑτοῦ δυνάμει ἐν τῇ τοῦ ἔχοντος ψυχῇ ἐνὸν καὶ λανθάνον θεούς τε καὶ ἀνθρώπους οὐδεὶς πώποτε οὔτ' ἐν ποιήσει οὔτ' ἐν ἰδίοις λόγοις ἐπεξῆλθεν ἱκανῶς τῷ λόγῳ, ὡς τὸ μὲν μέγιστον κακῶν ὅσα ἴσχει ψυχὴ ἐν αὑτῇ, δικαιοσύνη δὲ μέγιστον ἀγαθόν.

367 b: μὴ οὖν ἡμῖν μόνον ἐνδείξῃ τῷ λόγῳ, ὅτι δικαιοσύνη ἀδικίας κρεῖττον, ἀλλὰ τί ποιοῦσα ἑκατέρα τὸν ἔχοντα αὐτὴ δι' αὑτὴν ἡ μὲν ἀγαθόν, ἡ δὲ κακόν ἐστιν. τὰς δὲ δόξας ἀφαίρει, ὥσπερ Γλαύκων διεκελεύσατο ... τοῦτ' οὖν αὐτὸ ἐπαίνεσον δικαιοσύνης, ὃ αὐτὴ δι' αὑτὴν τὸν ἔχοντα ὀνίνησι καὶ ἀδικία βλάπτει· μισθοὺς τε καὶ δόξας πάρες ἄλλοις ἐπαινεῖν.

367 e: μὴ οὖν ἡμῖν ἐνδείξῃ μόνον τῷ λόγῳ, ὅτι δικαιοσύνη ἀδικίας κρεῖττον, ἀλλὰ τί ποιοῦσα ἑκατέρα τὸν ἔχοντα αὐτὴ δι' αὑτήν, ἐάν τε λανθάνῃ ἐάν τε μὴ θεούς τε καὶ ἀνθρώπους ἡ μὲν ἀγαθὸν ἡ δὲ κακόν ἐστιν.

Quae igitur vis sit iustitiae atque iniustitiae hominum in anima quaeritur: *τί ποιεῖ ἑκατέρα, τίνα ἔχει δύναμιν*, quod prorsus idem est atque Clitophontis: *ποῖ τείνουσά ἐστι* et *τί ποτ' αὐτῆς ἐστι τὸ ἔργον*. Atque ut ultima evanescat dubitatio eandem esse Platonis et Clitophontis quaestionem, ipse nos docet quid sit *δύναμις* de rep. 477 d: *δυνάμεως δ' εἰς τοῦτο μόνον βλέπω ἐφ' ᾧ τ' ἔστι καὶ ὃ ἀπεργάζεται.* Quae autem sit vis iustitiae eo luculentius apparet, quo magis procedit de republica quaestio. Inventa enim iustitia de re quadam agitur quae ultra eam evadat 504 d: *οὐ γὰρ ταῦτα μέγιστα, ἀλλ' ἔτι τι μεῖζον δικαιοσύνης τε καὶ ὧν διήλθομεν;* de quo accuratius in sequentibus 505 e: *ὃ δὴ διώκει μὲν ἅπασα ψυχὴ καὶ τούτου ἕνεκα πάντα πράττει, ἀπομαντευομένη τι εἶναι, ἀποροῦσα δὲ καὶ οὐκ ἔχουσα λαβεῖν ἱκανῶς τί ποτ' ἐστὶν* (*ἐπεξελθεῖν δὲ οὐκ ἔνι τῷ πράγματι καὶ λαβεῖν αὐτὸ τελέως* Clitoph. 408 d) *οὐδὲ πίστει χρήσασθαι μονίμῳ, οἵᾳ καὶ*

περὶ τἆλλα, διὰ τοῦτο δὲ ἀποτυγχάνει καὶ τῶν ἄλλων εἴ τι ὄφελος ἦν, περὶ δὴ τὸ τοιοῦτον καὶ τοσοῦτον οὕτω φῶμεν δεῖν ἐσκοτῶσθαι καὶ ἐκείνους τοὺς βελτίστους ἐν τῇ πόλει, οἷς πάντα ἐγχειριοῦμεν; Ἥκιστα γ', ἔφη. Οἶμαι γ' οὖν, εἶπον, δίκαιά τε καὶ καλὰ ἀγνοούμενα, ὅπῃ ποτὲ ἀγαθά ἐστιν οὐ πολλοῦ τινος ἄξιον φύλακα κεκτῆσθαι ἂν ἑαυτῶν τὸν τοῦτο ἀγνοοῦντα, μαντεύομαι δὲ μηδένα αὐτὰ πρότερον γνώσεσθαι ἱκανῶς. Quae omnia adscribere debui, ut quam certissime appareat plane idem quaeri vel expediri a Platone, quod flagitaverat Clitopho. Quale sit opus iustitiae in libris VI—VII ingeniose exponit: philosophorum vita, animae cum ideis coniunctio.

Demonstratum igitur est edito primo Reipublicae libro scriptum esse Clitophontem, tum reliquos Politias libros prodiisse, utrum omnes an pars tantum, infra videbimus. Sed quae praeter hoc ad Clitophontem responsum insunt in libris II—VII, maiora sunt, quam quae hac sola de causa scripsisse Platonem statuamus. Cum vero praeter locum laudatum de rep. 504e [1]) nullus alius exstet, qui ipsa Clitophontis verba spectet, circumspiciendum nobis, quatenus Clitopho Platonis scribendi studium moverit.

Atque quae de virtute vel de singulis virtutibus docet Plato, non perfecta atque absoluta quasi de caelo in gremium ei delapsa esse qui diligenter scripta eius evolverit, facile concedet. Natura sane fert ingenii humani, ut summa quaeque divinitus atque caelesti quadam intuitione oriantur in mente, sed necessario quoque fit, ut eadem quippe maturescendi tempore egentia in dies crescant atque amplificentur. Idem in Platonis de ideis et, quod Zellerum [2]) non fugit de virtute doctrinam, ubi Socratis praeceptoris vestigia secutus

1) Ne hunc quidem locum Clitophontem redolere Wilamowitzius censet, praeceptor optimus. Quod si tibi quoque non persuasi, alia sane proferre nequeo. Sed quaenam sit illa anima desperans, equidem non assequor, si non certum quendam intelligi sumis. Quod enim Plato dicit ,ἅπασα ψυχή', id non proprie dictum est, cum ipse non omnes homines sed paucissimos tantum veritatem strenue quaerere putet.

2) Phil. d. Gr. II a 745.

est, cadit. Socrates virtutem non nisi cognoscendo adipiscendam esse dixerat. Idem contendit Plato, in dies vero hanc sententiam immutat atque corrigit. E quinque fontibus honestis philosophicam, quam postea a vulgari seiungit, virtutem emanare docet: e iustitia, moderatione, sapientia, fortitudine, pietate [1]). Quarum cum primas partes gerat iustitia, pro ipsa virtute usurpatur. Quae sententia ita mutatur, ut non omnibus omnes virtutes inesse debere statuat [2]). Hinc rursus progreditur, quod quando factum sit, accurate potest indicari: quattuor esse virtutes easque positas esse in singulis animae partibus. Fit autem hic progressus quarto Reipublicae libro, antea nusquam. Quae si tenes, id fortasse explanatur, cur de iustitia, de moderatione, de fortitudine, de pietate emiserit Plato dialogos, de sapientia minime: mutata sententia quominus quintum emitteret prohibitus est. Quod utut se habet, tempus fuisse constat, quo Plato nondum seiunxisset singulas virtutes secundum animae partes. Tum vero scriptum esse primum Politias librum firmis probari argumentis potest. Quem ad finem acerrime nobis distinguendum est iustitiam inter et moderationem. Quid sit moderatio, optime docemur de rep. 442 d: *σώφρονα (καλοῦμεν ἕνα ἕκαστον) τῇ φιλίᾳ καὶ ξυμφωνίᾳ τῇ αὐτῶν τούτων, ὅταν τό τε ἄρχον καὶ τὼ ἀρχομένω τὸ λογιστικὸν ὁμοδοξῶσι δεῖν ἄρχειν καὶ μὴ στασιάζωσιν αὐτῷ.* Iustitia vero est: *τὸ ὑπόλοιπον σωφροσύνης καὶ ἀνδρείας καὶ φρονήσεως, ὃ πᾶσι ἐκείνοις τὴν δύναμιν παρέσχεν ὥστε ἐγγενέσθαι καὶ ἐγγενομένοις γε σωτηρίαν παρέχειν ἕωςπερ ἂν ἐνῇ* (de rep. 433 b) [3]). Quos locos e quarto Reipublicae libro adscriptos provectiorem atque excultiorem Platonis doctrinam ostendere contendimus. Componendus cum iis est Gorgiae, quem ante Politiam scriptum esse nemo dubitat, locus 504 d: *ταῖς δὲ τῆς ψυχῆς τάξεσι καὶ κοσμήσεσι (δοκεῖ ὄνομα εἶναι) νόμιμόν τε καὶ νόμος, ὅθεν καὶ νόμιμοι γίγνονται καὶ κόσμιοι· ταῦτα δ' ἔστι δικαιοσύνη τε καὶ σωφροσύνη.* Idem igitur fere

---

1) cf. Zeller l. l. p. 748 ann. 2.

2) Protag. 229 e et Zeller l. l. p. 748 ann. 1.

3) cf. quae Zellerus hac de re ingeniose expedivit l. l. p. 479 ann. 1.

est iustitia atque moderatio, *τάξις* sive *κόσμος ψυχῆς*[1]). Quae incohata atque incerta definitio mirum quantum congruit cum Socratis de iustitia apud Xenophontem disputatione[2]), quam quin genuinam putemus, nulla re prohibemur. Eadem autem in primo Reipublicae libro regnat sententia 351 d: *στάσεις γάρ που, ὦ Θρασύμαχε, ἥ γε ἀδικία καὶ μίση καὶ μάχας ἐν ἀλλήλοις παρέχει, ἡ δὲ δικαιοσύνη ὁμόνοιαν καὶ φιλίαν.* Lucramur igitur hac comparatione neque in Gorgia neque in primo Reipublicae libro inesse acutum illud discrimen moderationem inter et iustitiam, quod quidem propria est quarti libri victoria. Atque scripta esse utraque disputatio debet, cum nondum plane perfecta et perpolita erat Platonis de virtute doctrina. Quae cum ita se habeant, non audaciorem me fore spero, si Clitophonte dialogo Platonem commotum esse statuo, ut denuo singulas examinaret virtutes, quae examinatio palmarem tulit fructum, Politias libros II—VII.

Atque liceret hic claudere disputationis rivulos, nisi aliud aliquid huc spectaret, quod quamvis ab ipsa alienum sit de Clitophonte disquisitione, tamen nonnihil lucis ei allaturum esse spero. Quae enim adhuc de Platonis Republica exposui seiunctum editum esse librum primum, tum Clitophonte edito reliquos libros quasi responsum Platonis prodiisse, quaestionem illam attingere cogunt, quae gravissima videtur esse studiis Platonicis atque iterum iterumque controversiam movit acerrimam. In qua investiganda cum versarer, ortae quaedam mihi sunt difficultates, quas si quis melius solvere potest, gaudebo, nunc vero meum censeo proferre quae me animadvertisse puto atque rationem viamque proponere quam secuto ea enodasse quodammodo mihi videbar. Dico quaestionem illam de Reipublicae Platonis editione vel recensione. Quam qui particulatim vel ortam vel editam esse contendunt, duobus nituntur testimoniis: Panaetii atque Euphorionis[3]), qui mortuo Platone tabellam inventam esse tradunt, in qua prima dialogi

1) Similiter confunduntur iustitia et moderatio Gorg. p. 407 a—c.

2) Mem. IV 4, 10 sqq.

3) Diog. Laert. III 73; Dionys. Halic. de comp. verb. p. 208 R. Quint. VIII 6, 64.

verba varie mutata extiterint et Gellii N. A. XIV 3: '*Id etiam esse non sincerae neque amicae voluntatis iudicium crediderunt, quod Xenophon inclyto illi operi Platonis, quod de optimo statu reipublicae civitatisque administrandae scriptum est, lectis ex eo duobus fere libris, qui primi in vulgus exierunt, opposuit contra conscripsitque diversum regiae administrationis genus, quod παιδεία Κύρου inscriptum est. Eo facto scriptoque eius usque adeo permotum esse Platonem ferunt, ut quodam in libro mentione Cyri regis habita, retractandi levandique eius operis gratia virum quidem Cyrum navum et strenuum fuisse dixerit, παιδείας δ' οὐκ ὀρθῶς ἧφθαι τὸ παράπαν. Haec enim verba sunt de Cyro Platonis.*

Quibus locis primus Hermannus usus est, ut primum ultimumque librum a reliquo seiungeret corpore et libros V—VII postea insertos esse contenderet [1]). Cuius verba quin adscribam supersedere non possum: '*Dass Plato zuerst zwei Bücher der Republik allein herausgegeben habe, ist eine urkundliche Überlieferung, die nicht sofort verworfen werden darf, weil sich an sie die alberne Erfindung anknüpft, dass Xenophon gegen diese seine Cyropaedie geschrieben habe, sondern im Gegenteil vorhanden sein musste, wenn eine solche Erfindung überhaupt gemacht werden sollte und wir ferner erwägen, dass die jetzige Einteilung in zehn Bücher gewiss nicht von Plato selbst, sondern von späteren Herausgebern herrührt, so wird uns auch die Zweizahl von Büchern in jener Angabe nicht abhalten dürfen, die weiteren Spuren einer successiven Entstehung in verschiedenen Stücken zu verfolgen, die erst allmählich zu einem geschlossenen Ganzen erwachsen wären.*'

Nec non Susemihlii argumentationem omittere possum contra Hermannum [2]), quippe qua iniuriam quodammodo facere videtur Hermanni iudicio, in cuius castra prorsus sum transiturus. Dicit enim Susemihlius: '*Allerdings ist der Umstand, dass sich diese alberne Erfindung (de Xenophontis Cyropaedia cum nostro aemulatione) an jene Thatsache angesetzt hat, noch kein Grund, auch die letztere zu verwerfen, und so ist es bei*

1) Gesch. u. System d. plat. Phil. p. 537 sqq.

2) Genet. Entw. II[a] 88 sqq.

der vielfachen inneren Willkürlichkeit der jetzigen Büchertei- lung, die bloss auf eine ungefähre Gleichheit des äusseren Um- fangs berechnet ist und mit den wirklichen Abschnitten nur hie und da zusammenstimmt, mehr als wahrscheinlich, dass sie nicht von Plato, sondern erst von einem späteren Herausgeber herrührt. Allein daraus zu folgern, dass die ungefähr zwei zuerst herausgegebenen Bücher in Wahrheit nur das erste ge- wesen seien, ist schon desshalb unstatthaft, weil doch Gellius jedenfalls wohl bereits die jetzige Teilung im Auge hatte, um- somehr da sein Zusatz ‚ungefähr' (fere) bei duobus libris doch schwerlich etwas anderes bedeuten kann, als dass jener zuerst veröffentlichte Abschnitt nicht genau zwei Büchern nach dieser Einteilung entsprochen, sondern entweder etwas weniger oder aber etwas mehr umfasst habe, jedenfalls also nicht bloss das erste Buch.'

Non plane perspexisse videtur vir doctissimus Hermanni ingeniosam sententiam. Sine dubio quam nos tenemus in li- bros distributionem Gellius quoque tenuit, eademque est Her- manni opinio. Sed ut de Xenophontis Cyropaedia contra Pla- tonis Rempublicam conscriptam falsissima tradat Gellius, ita de numero quoque librorum editorum falsum illum esse putat. Hunc vero numerum ut alia e fonte suo hausit, in quo quem- admodum natus sit error, nos sane indagare non iam possu- mus, sed contenti simus eo quod perspicimus: fuisse inter veteres qui traderet particulam Reipublicae solutam a ceteris editam esse. Quod enim quis facile coniecerit, atque ego quo- que conieceram longiorem vel ampliorem olim fuisse librum primum, qua adhibita medela non parum cresceret Gellii fides, nunc non iam credo, cum quid omiserit cum reliquis praefi- gerit primam illam editionem, frustra quaesiverim [1]).

---

1) Susemihlius Gen. Entw. II 85 probare conatus est et Cephali cum Socrate disputationem et Glauconis Adimantique inductionem inutilem at- que supervacaneam fuisse in seiuncto libro primo neque omnino tunc or- namentum ut ita dicam scenicum, quo abundet liber primus, tam copiose additurum fuisse Platonem. Quae quamquam mihi non persuasit, tamen non ampliorem sed breviorem fuisse librum primum sequeretur, qua re magis etiam infringeretur Gellii fides.

Restat, ut Zelleri respiciamus iudicium [1]), qui etsi concedit posse particulatim editam esse Rempublicam, certum in toto opere consilium atque rationem cognoscere sibi visus est. Spectare enim primi libri p. 330 d finem dialogi (X 608 c sqq.). Procedere totam disputationem a Cephali cum Socrate colloquio de vita post mortem exspectanda eodemque omnibus quaestionibus enodatis rediri. Quod casu factum esse neque equidem sumere mihi possum sed spectari primum decimo libro libenter Zellero concedo. At si ultimus etiam Platoni nondum obversabatur liber, cum primum scribebat, tamen in fine dialogi initium spectatum esse potest atque de animae immortalitate verba fieri videntur, ut plane cumulateque opus conficiatur. Num vero totum opus arte coagmentatum sit atque certum referat inde a principio consilium prorsus alia est quaestio.

Atque nuper qui de Reipublicae recensione egit Krohnius [2]), Hermanni sententiam plane novis et gravissimis argumentis confirmare conatus est. Gradatim enim dialogum scriptum esse ipsius Platonis verba aperte indicare dicit [3]) de rep. 394 d: *μαντεύομαι, ἔφη, σκοπεῖσθαί σε, εἴτε παραδεξόμεθα τραγῳδίαν τε καὶ κωμῳδίαν εἰς τὴν πόλιν, εἴτε καὶ οὔ. Ἴσως, ἦν δ' ἐγώ. ἴσως δὲ καὶ πλείω ἔτι τούτων· οὐ γὰρ δὴ ἔγωγέ πω οἶδα, ἀλλ' ὅπῃ ἂν ὁ λόγος ὥσπερ πνεῦμα φέρῃ ταύτῃ ἰτέον.* Quae opinio quantum distet a veri specie, non huius libelli esse potest expedire, quamquam id quin moneam facere non possum lectorem non praeoccupatum iam ideo offendi non posse his verbis, quia e responso Socratis: *ἴσως, ἴσως δὲ καὶ πλείω* colligere licet *τὰ πλεῖω ταῦτα* iam dudum Platoni constare. Sed utut hoc se habet, veri multum vidit Krohnius; quod non omnia vidit, miro factum sit oportet casu.

Verum enim vero quantum attinet ad libros II—VII ut a Krohnio ita iam ab Hermanno in duas partes dilaceratas, haec ratio e nostra opinione stare nullo pacto potest. Nam sive Clitophonte dialogo commotum esse Platonem, ut scriberet

---

1) Phil. d. Gr. II a 468 sqq.

2) ‚d. plat. Staat' Halle 1876; ‚die plat. Frage' ibid. 1878.

3) d. plat. Staat p. 4 et 7.

hos libros, mecum statuis, sive aliam indicare potes causam: hoc negari non potest aheneo libros II—VII inter se nexos esse vinculo. Dixerit enim quispiam sua sponte Platonem progressurum fuisse in hac philosophandi de iustitia via vel etiamsi non editus esset Clitopho, idem quod vocatur inventurum fuisse iustitiae opus. Quod quamquam mihi obverti potest, tamen quasi unum corpus esse (de quibus dico) libros illos a Krohnio seiunctos cuivis erit concedendum, qui quemadmodum coniuncti atque copulati sint, optime ipse significat Plato p. 366 e, 367 b, e. Non enim quid sit iustitia atque iniustitia explanaturus est, sed quo spectent, quo tendant. Quod cum fiat demum in libro VI et VII, initio autem disputationis apertis indicetur verbis, de hac librorum illorum seiunctione actum est.

At Platonem, dum scriberet, mutasse dicit Krohnius consilium iterum iterumque indicatum; quod enim primum iustitiam iniustitiamque in eadem republica inveniri posse dicat, postea ut iniustitia appareat malam condendam esse civitatem, denique ne hoc quidem faciat, sed de compluribus exponat urbibus male administratis, luce clarius demonstrare haec consilia deinceps in mente scriptoris sensim esse nata. Videamus quid rei sit. Quid sit inquisiturus, primum Plato exponit de rep. p. 369 a: *ἆρ' οὖν, ἦν δ' ἐγώ, εἰ γιγνομένην πόλιν θεασαίμεθα τῷ λόγῳ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτῆς ἴδοιμεν ἂν γιγνομένην καὶ τὴν ἀδικίαν; Τάχ' ἄν, ἦ δ' ὅς. Οὐκοῦν γενομένου αὐτοῦ ἐλπὶς εὐπετέστερον ἰδεῖν ὃ ζητοῦμεν; Πολύ γε.* Iustitiam igitur atque iniustitiam in eadem inventuri sumus re publica, nam *αὐτῆς* cum dicat, hac de re dubitari non iam potest. Cui consilio optime respondent quae legimus p. 427 d: *ᾠκισμένη μὲν τοίνυν, ἦν δ' ἐγώ, ἤδη ἄν σοι εἴη, ὦ παῖ Ἀρίστωνος, ἡ πόλις· τὸ δὲ δὴ μετὰ τοῦτο σκόπει ἐν αὐτῇ φῶς ποθὲν πορισάμενος ἱκανὸν αὐτός τε καὶ τὸν ἀδελφὸν παρακάλει καὶ Πολέμαρχον καὶ τοὺς ἄλλους, ἐάν πως ἴδωμεν, ποῦ ποτ' ἂν εἴη ἡ δικαιοσύνη καὶ ποῦ ἡ ἀδικία καὶ τί ἀλλήλοιν διαφέρετον καὶ πότερον δεῖ κεκτῆσθαι τὸν μέλλοντα εὐδαίμονα εἶναι, ἐάν τε λανθάνῃ ἐάν τε μὴ πάντας θεούς τε καὶ ἀνθρώπους.* Si enim Socrates hortatur Glauconem et Adimantum, ut investi-

gent iustitiam atque iniustitiam in republica nuperrime condita, inesse utramque in illa necessario putat. Itaque perbene loci adscripti sibi respondent. Nec non consentit cum iis totius dialogi tenor atque progressus. Invenitur enim p. 443 b, quid sit iustitia: *ἔτι οὖν ἕτερον ζητεῖς δικαιοσύνην εἶναι ἢ ταύτην τὴν δύναμιν, ἣ τοὺς τοιούτους ἄνδρας τε παρέχεται καὶ πόλεις; Μὰ Δία, ἦ δ' ὅς, οὐκ ἔγωγε.* Invenitur iniustitia p. 444 a: *ἔστω δή, ἦν δ' ἐγώ. μετὰ γὰρ τοῦτο σκεπτέον, οἶμαι, ἀδικίαν. Δῆλον ὅτι. Οὐκοῦν στάσιν τινὰ αὖ τριῶν ὄντων τούτων δεῖ αὐτὴν εἶναι καὶ πολυπραγμοσύνην καὶ ἀλλοτριοπραγμοσύνην καὶ ἐπανάστασιν μέρους τινὸς τῷ ὅλῳ τῆς ψυχῆς, ἵν' ἄρχῃ ἐν αὐτῇ οὐ προσῆκον, ἀλλὰ τοιούτου ὄντος φύσει, οἵου πρέπειν αὐτῷ δουλεύειν τῷ τοῦ ἀρχικοῦ γένους ὄντι; τοιαῦτ' ἄττα, οἶμαι, φήσομεν καὶ τὴν τούτων ταραχὴν καὶ πλάνην εἶναι τήν τε ἀδικίαν καὶ ἀκολασίαν καὶ δειλίαν καὶ ἀμαθίαν καὶ ξυλλήβδην πᾶσαν κακίαν; Ταὐτὰ μὲν οὖν ταῦτα, ἔφη* [1]). Neve e primo quem adscripsi loco collegeris haesitasse Platonem de invenienda iniustitia, cum scriberet: *εἰ γιγνομένην πόλιν θεασαίμεθα λόγῳ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτῆς ἴδοιμεν ἂν γιγνομένην καὶ τὴν ἀδικίαν.* Potest enim quispiam conicere Platonem cum scribere institueret, rempublicam mediocriter administratam depicturum fuisse, scribentem vero, quod bene potest excogitari, sensim eo esse delapsum, ut optimam enarraret urbem. A qua sententia Krohnium non multum abesse suspicor [2]). Sed luxuriosam urbem (*τρυφῶσαν πόλιν*) ideo tantum introduxit, ut extra suum quam vocat civitatem, egredi posset, suum autem civitatem, quippe cuiusvis hominum communionis originem non enarrare non potuit, nec non Antisthenem ut castigaret, enarravit, ut scite monuit Zellerus [3]). Statuendum igitur est iam ab ultimo dialogi initio certum fuisse Platonem de via atque ratione iustitiae atque iniustitiae investigandae. Utramque ex optima reipublicae forma cogendam esse putat, optimam vero urbem se condidisse saepius commemorat (p. 420 c, 427 e).

1) cf. etiam p. 434 c.
2) l. l. p. 6 sqq.
3) l. l. p. 757.

Duobus igitur locis (369a et 427d) aperte dicitur et iustitiam et iniustitiam inventum iri in eadem optima civitate. At vero interposita inter hos locos occurrunt haec inexspectatissima verba p. 420 b: . . . *οὐ μὴν πρὸς τοῦτο βλέποντες τὴν πόλιν οἰκίζομεν, ὅπως ἕν τι ἡμῖν ἔθνος ἔσται διαφερόντως εὔδαιμον, ἀλλ' ὅπως ὅτι μάλιστα ὅλη ἡ πόλις· ᾠήθημεν γὰρ ἐν τῇ τοιαύτῃ μάλιστα ἂν εὑρεῖν δικαιοσύνην καὶ αὖ ἐν τῇ κάκιστα οἰκουμένῃ ἀδικίαν, κατιδόντες δὲ κρῖναι ἂν ὃ πάλαι ζητοῦμεν· νῦν μὲν οὖν, ὡς οἰόμεθα, τὴν εὐδαίμονα πλάττομεν οὐκ ἀπολαβόντες, ὀλίγους ἐν αὐτῇ τοιούτους τινὰς τιθέντες, ἀλλ' ὅλην· αὐτίκα δὲ τὴν ἐναντίαν σκεψόμεθα.* Quae adversa fronte pugnant contra ceteros quos adscripsi locos[1]). Statim contrariam civitatem enarrare promittit, quae verba spectant librum VIII et IX, ubi sane denuo iniustitiae notio tractatur, de quo infra ampliora. Sed postea demum hunc locum insertum esse negare non potest, quicunque rerum inter se connexum perspexit. Neque id opponere mihi licet inventam sane esse iustitiam, sed cogitando tantum vel ut barbare loquar abstrahendo expeditam, flagitari autem ut eodem quo iustitia modo ex ipsa iniusta urbe emergat. Quod falsum esse e verbis *ᾠήθημεν γὰρ ἐν τῇ τοιαύτῃ (εὐδαιμονεστάτῃ) μάλιστα ἂν εὑρεῖν δικαιοσύνην καὶ αὖ ἐν τῇ κάκιστα οἰκουμένῃ ἀδικίαν* manifesto apparet. Nam speciem movere studet Plato ab initio se tale prae se tulisse consilium duarum urbium depingendarum.

Non omittenda porro sunt, quae exstant p. 434d. Inventa est in praecedentibus iustitia, quaenam sit in urbe optime administrata. Efficitur inde, ut iniustitia sit plane contraria animae consensui (434c). Sequuntur haec: *νῦν δ' ἐκτελέσωμεν τὴν σκέψιν, ἣν ᾠήθημεν, εἰ ἐν μείζονί τινι τῶν*

---

1) Prorsus aliud his verbis indicari consilium Krohnius bene animadvertit, sed fugit eum gravissimus locus p. 427 d. Quod enim novum malae urbis depingendae consilium quasi cinctum est duobis illis locis, qui utrique, iustitiae iniustitiaeque satis facere unam urbem contendunt, itaque revertitur post novam pristina illa sententia, manifesto infringit Krohnii de saepius mutato consilio opinionem.

ἐχόντων δικαιοσύνην πρότερον ἐκεῖνο ἐπιχειρήσαιμεν θεάσασθαι, ῥᾷον ἂν ἐν ἑνὶ ἀνθρώπῳ κατιδεῖν οἷόν ἐστι, καὶ ἔδοξε δὴ ἡμῖν τοῦτο εἶναι πόλις καὶ οὕτως ᾠκίζομεν ὡς ἐδυνάμεθα ἀρίστην, εὖ εἰδότες ὅτι ἔν γε τῇ ἀγαθῇ ἂν εἴη. Quae si non satis accurate expenderis, facillime in eam sententiam incidere potes, iam hic indicare Platonem pessimam urbem. Quod secus est. Si enim dicit se haud ignorare in optima tantum inesse iustitiam, de pessima condenda minime cogitat, neque illa opus est, cum ad iniustitiam reperiendam plane sufficiat optima. Optimam vero solam iustitiae reperiendae idoneam esse, ab ultimo initio, ut iam exposui, constat.

Posterioris igitur aetatis esse locum p. 420 d sqq. meo Marte concludere mihi videor. Ac vide quantopere totius loci indoles suspicioni meae faveat: *Τί οὖν*, sic incipit liber quartus, *ὦ Σώκρατες, ἀπολογήσει, ἐάν τίς σε φῇ μὴ πάνυ εὐδαίμονας ποιεῖν τούτους τοὺς ἄνδρας (τοὺς φύλακας) καὶ ταῦτα δι' ἑαυτούς, ὧν ἐστι μὲν ἡ πόλις τῇ ἀληθείᾳ, οἱ δὲ μηδὲν ἀπολαύουσιν ἀγαθοῦ τῆς πόλεως οἷον ἄλλοι κτἑ.* Quidni censuram de libro factam esse statuamus, Platonemque hoc loco eam refellere? Hunc vero locum si posterioris aetatis esse ponimus, idem cadit necessario in eos quos spectat libros VIII et IX.

Quodsi recte disputavi, duae res inde sequuntur: et libros II—VII per se stare posse atque stetisse et libros VIII et IX abhorrere a proprio dialogi consilio. Atque per se stare libros II—VII facile concedetur, si quantumvis Clitophontem dialogum scribendi causam fuisse statuerimus. Quod vero his libris Plato non modo praestitit flagitata, sed insuper alia expedivit pulcherrima, divino philosophi ingenio factum esse debet, neque nos quaenam praeterea eum causae commoverint, adhuc investigare possumus. Unum illud constat et Clitophonti satisfacere de quibus agimus libros et cuivis alii lectori suffecturos esse atque fuisse, si reliqui resecarentur. Idem quoque ultima septimi libri verba testantur 541 b: *οὐκοῦν ἅδην ἤδη, εἶπον ἐγώ, ἔχουσιν ἡμῖν οἱ λόγοι περί τε τῆς πόλεως ταύτης καὶ τοῦ ὁμοίου ταύτῃ ἀνδρός; δῆλος γάρ που καὶ οὗτος,*

οἷον φήσομεν δεῖν αὐτὸν εἶναι. Δῆλος ἔφη· καὶ ὅπερ ἐρωτᾷς δοκεῖ μοι τέλος ἔχειν [1]).

His peractis adgrediamur de ultimis libris disputare a proprio dialogi consilio abhorrentibus. Atque quae initio libri VIII leguntur verba, ita comparata sunt, ut imperfecti adhuc operis speciem prae se ferant 545a: *τὸν μὲν δὴ ἀριστοκρατίᾳ ὅμοιον διεληλύθαμεν ἤδη, ὃν ἀγαθόν τε καὶ δίκαιον ὀρθῶς φαμεν εἶναι. Διεληλύθαμεν. Ἆρ' οὖν τὸ μετὰ τοῦτο διετέον τοὺς χείρους, τὸν φιλόνικόν τε καὶ φιλότιμον, κατὰ τὴν Λακωνικὴν ἑστῶτα πολιτείαν, καὶ ὀλιγαρχικὸν αὖ καὶ δημοκρατικὸν καὶ τὸν τυραννικόν, ἵνα τὸν ἀδικώτατον ἰδόντες ἀντιθῶμεν τῷ δικαιοτάτῳ καὶ ἡμῖν τελέα ἡ σκέψις ᾖ, πῶς ποτὲ ἡ ἄκρατος δικαιοσύνη πρὸς ἀδικίαν τὴν ἄκρατον ἔχει εὐδαιμονίας τε πέρι τοῦ ἔχοντος καὶ ἀθλιότητος, ἵνα . . . κτἑ.*

Quid? Nondum actum est de utraque, iustitia atque iniustitia, neque de iustissimo viro atque iniustissimo? E verbis laudatis de iniustitia nec vola apparet nec vestigium. Immo de iustitia tantum dictum esse simulant: *ἵνα ἢ Θρασυμάχῳ πειθόμενοι διώκωμεν ἀδικίαν ἢ τῷ νῦν προφαινομένῳ λόγῳ δικαιοσύνην; Παντάπασιν μὲν οὖν, ἔφη, οὕτω ποιητέον.*

Sed hic quoque obverterit quispiam inventam sane esse iniustitiam, sed cogitando tantum expeditam, non vera civitatis imagine expressam. Quod quamquam pugnare contra consilium ab initio pronuntiatum vidimus, tamen cogitari quodammodo potest. Potest enim re vera Plato hoc loco mutasse consilium indicatum, ita ut non sufficere viderentur, quae adhuc de iniustitia erant disputata. Sed respondendum nobis est, tum iam in libro quarto hanc mutationem factam esse debere, ubi adumbrantur lineolis tenuissimis, quae hic egregie expediuntur [2]). Ante solutam igitur quaestionem inveniendae cogitatione iustitiae iam altera indicatur amplior quae eandem in republica pessima investigare studeat. Iterumque nascitur suspicio indicationem illam posterioris esse temporis, cui ratiocinationi infra alia accrescent argumenta.

Quid porro? Qualis est quae instat quaestio? *Πῶς*

1) cf. etiam p. 497 e.

1) IV p. 445.

ποτὲ ἡ ἄκρατος δικαιοσύνη πρὸς ἀδικίαν τὴν ἄκρατον ἔχει εὐδαιμονίας τε πέρι τοῦ ἔχοντος καὶ ἀθλιότητος. Oblitusne est Plato proprium dialogi consilium? Ἐπιθυμῶ γὰρ ἀκοῦσαι, τί τ' ἔστιν ἑκάτερον καὶ τίνα ἔχει δύναμιν αὐτὸ καθ' αὑτὸ ἐνὸν ἐν τῇ ψυχῇ, τοὺς δὲ μισθοὺς καὶ τὰ γιγνόμενα ἀπ' αὐτῶν ἐᾶσαι χαίρειν saepius initio libri secundi Glauco monuerat. Unde advolant repente felicitas atque miseria? Mutatur totius libri consilium, quod si strenue secuturus erat Plato, prorsus alia ratione erat procedendum, si quidem procedendum erat. Cum enim iam in quarto libro inventa sit et iustitia et iniustitia, in libro sexto septimoque opus quod dicitur iustitiae, restare potest in quod inquiratur opus iniustitiae. Quod nequaquam fit. Immo uter sit beatior denuo quaeritur, iustus an iniustus 543c: ἀλλ' ἄγε, ἐπειδὴ τοῦτ' ἀπετελέσαμεν, ἀναμνησθῶμεν, πόθεν δεῦρο ἐξετραπόμεθα, ἵνα πάλιν τὴν αὐτὴν ἴωμεν. Οὐ χαλεπόν, ἔφη· σχεδὸν γὰρ καθάπερ νῦν, ὡς διεληλυθὼς περὶ τῆς πολέως τοὺς λόγους ἐποίου λέγων, ὡς ἀγαθὴν μὲν τὴν τοιαύτην, οἵαν τότε διῆλθες, τιθείης πόλιν, καὶ ἄνδρα τὸν ἐκείνῃ ὅμοιον, καὶ ταῦτα, ὡς ἔοικας, καλλίω ἔτι ἔχων εἰπεῖν πόλιν τε καὶ ἄνδρα. ἀλλ' οὖν δὴ τὰς ἄλλας ἡμαρτημένας ἔλεγες, εἰ αὕτη ὀρθή· τῶν τε λοιπῶν πολιτειῶν ἔφησθα, ὡς μνημονεύω, τέτταρα εἴδη εἶναι, ὧν καὶ πέρι λόγον ἄξιον εἴη ἔχειν καὶ ἰδεῖν αὐτῶν τὰ ἁμαρτήματα καὶ τοὺς ἐκείναις αὖ ὁμοίους, ἵνα πάντας αὐτοὺς ἰδόντες καὶ ὁμολογησάμενοι τὸν ἄριστον καὶ τὸν κάκιστον ἄνδρα ἐπισκεψαίμεθα, εἰ ὁ ἄριστος εὐδαιμονέστατος καὶ ὁ κάκιστος ἀθλιώτατος ἢ ἄλλως ἔχοι. Iam id apparet quae una exspectanda erat, quaestionem de opere iniustitiae non sequi. Est enim summa libri VIII et IX: ἐννεακαιεικοσικαιεπτακοσιοπλασιάκις ἥδιον ζῆν τὸν βασιλέα τοῦ τυράννου (587e), quibus demonstratis astute speciem prae se fert Plato inventi operis et iustitiae et iniustitiae 588b: ἐπειδὴ ἐνταῦθα λόγου γεγόναμεν, ἀναλάβωμεν τὰ πρῶτα λεχθέντα, δι' ἃ δεῦρ' ἥκομεν. ἦν δέ που λεγόμενον, λυσιτελεῖν ἀδικεῖν τῷ τελέως μὲν ἀδίκῳ, δοξαζομένῳ δὲ δικαίῳ· ἢ οὐχ οὕτως ἐλέχθη; Οὕτω μὲν οὖν. Νῦν δή, ἔφην, αὐτῷ διαλεγώμεθα, ἐπειδὴ διωμολογησάμεθα τό τε ἀδικεῖν καὶ τὸ δίκαια πράττειν ἣν ἑκά-

τερον ἔχει δύναμιν. Non igitur cum Glauconis atque Adimanti interrogationibus consentiebat malas enarrare civitates, perbene autem iis respondet quae exstat in fine libri noni expositio (p. 588 b—592 b), quae quo vinculo cohaereat cum libris II—VII postea demum expedire possumus.

Cum vero dissentiant libri VIII et IX a praecedentibus, quanam de causa adiuncti sint, quaeritur. De qua re sane difficillimum esse fateor certa proferre argumenta, quippe quae pendere videantur e doctrina Platonis sensim aucta atque exculta. Sed si brevia monstrare licet vestigia, quid mihi persuaserim indicabo. Zellerus [1]) enim sagacissime monuit malas istas quas Plato enumerat civitates timocratiam, oligarchiam, democratiam, tyrannidem ideo tantum hunc ducere chorum, quia Platoni ita videbantur vel maioris vel minoris esse pretii, non autem quia historiae necessitatem spectasset Plato, qua fieri oporteret, ut ita nec aliter altera alteram exciperet [2]). In quem ordinem civitatum, qui non parum differat ab eo, qui in Politico [3]) invenitur dialogo, provectiore demum aetate Platonem incidisse suspicatur Zellerus. Quod mihi quidem plane persuasit vir summus. Atque puto eum ut hunc civitatum ordinem pedetemptim statuit, ita postea quoque reperisse illam de malis animis respondentibus malis civitatibus opinionem, ex qua cogitationum conexu consilium, de quibus agimus librorum natum esse mihi sumo.

Quod utut se habet, demonstratum esse iudico nec indolem librorum VIII et IX respondere praecedentibus et locum unde profecti sumus p. 420 b pugnare contra totius dialogi ordinem. Iamque unum quod consulto adhuc omisi, proferendum est, in quo nemo offendere non potest. Dixerat enim Plato se statim in pessimam inquisiturum esse civitatem (*αὐτίκα δὲ τὴν ἐναντίαν σκεψόμεθα* p. 420 c) quod fit tribus peractis

1) Phil. d. Gr. II a 784.

2) Quae nuperrime contra Zellerum disputavit Nohlius: „die Statslehre Plato's" p. 100 sqq., mihi non probavit.

3) In quo dialogo cum de optima civitate ad effectum adducenda desperasse videatur Plato, sequitur ut post editam alteram Reipublicae partem conscriptus sit.

libris. Quidni inserto hoc loco statim conscriptum esse librum VIII et IX statuamus? Adice quod Plato enuntiaverat in pessima urbe iniustitiam se inventurum esse (*καὶ αὖ ἐν τῇ κάκιστα οἰκουμένῃ ἀδικίαν* p. 420 b). Non autem unam sed quattuor deinceps depingit malas, quarum primum strictim fit mentio p. 445 c. Quae difficultas facile ita enodatur uni optimae non iam licuisse quattuor opponere malas, quippe quae non aliud sequerentur consilium nisi iniustitiam investigandam. Itaque simulatu opus erat unam tantum enarratum iri pessimam.

Sed haec hactenus de libro VIII et IX. Quae postea adiuncta esse si tibi probavi, non iam acquiescere licet in hoc iudicio, cum alia inde sequantur gravissima de totius dialogi compositione. Statuimus adhuc primum libri quarti caput eiusdem atque libros VIII et IX esse aetatis. Leguntur autem in quinto libro quae digito monstrent caput illud verba p. 465 c: *μέμνησαι οὖν, ἦν δ' ἐγώ, ὅτι ἐν τοῖς πρόσθεν οὐκ οἶδα ὅτου λόγος ἡμῖν ἐπέπληξεν, ὅτι τοὺς φύλακας οὐκ εὐδαίμονας ποιοῦμεν, οἷς ἐξὸν πάντα ἔχειν τὰ τῶν πολιτῶν οὐδὲν ἔχοιεν; ἡμεῖς δέ που εἴπομεν, ὅτι τοῦτο μὲν εἴ που παραπίπτοι εἰσαῦθις σκεψόμεθα, νῦν δὲ τοὺς μὲν φύλακας φύλακας ποιοῦμεν, τὴν δὲ πόλιν ὡς οἷοί τε εἶμεν, εὐδαιμονεστάτην, ἀλλ' οὐκ εἰς ἓν ἔθνος ἀποβλέποντες ἐν αὐτῇ τοῦτο εὔδαιμον πλάττοιμεν.* Quae verba duabus de causis laudatu sunt dignissima. Primum enim quod dicit Plato iam antea (initio libri quarti) in eandem iterum inquirere rem in animo se habuisse idque verbis indicasse, talis pollicitationis in libro quarto nec volam invenies nec vestigium. Unde patet ideo tantum haec verba scripta esse, ut de eadem re iterum tractata se defenderet. Atque quod tota hac expedire studeo disputatione hoc optime testatur exemplum, dialogum nostrum minime speciem ferre operis politissima arte perfecti, sed disparibus membris parum accurate congesti. Sed hoc quoque necessario efficitur, ut locus noster cum alium respiciat postea insertum, alienus sit a prima dialogi discriptione. Qui cum tam arcte cohaereat cum toto libro quinto, ut non

solus possit resecari, quintum quoque librum posterioris aetatis esse documento est.

Iamque ut natura fert operis imperfecti atque incohati, vestigia licet cognoscere inserti postea libri quinti, quod ante additos libros VIII et IX factum esse debet. Enumerat enim suo more Plato initio libri VIII quae adhuc enodatae sint quaestiones: *εἶεν· ταῦτα μὲν δὴ ὡμολόγηται, ὦ Γλαύκων, τῇ μελλούσῃ ἄκρως οἰκεῖν πόλει κοινὰς μὲν γυναῖκας κοινοὺς δὲ παῖδας εἶναι καὶ πᾶσαν παιδείαν, ὡσαύτως δὲ τὰ ἐπιτηδεύματα κοινὰ ἐν πολέμῳ τε καὶ εἰρήνῃ, βασιλέας δὲ αὐτῶν εἶναι τοὺς ἐν φιλοσοφίᾳ τε καὶ πρὸς τὸν πόλεμον γεγονότας ἀρίστους.* Qui enumerationis ordo minime respondet enarrationi, eaque de causa de feminis quaestio primo loco nominatur, quia proxime scriptus erat liber quintus.

Sed multo accuratius quasi manum Platonis cognoscere possumus hunc librum inserentis. Actum est p. 444 de iniustitia: sequuntur secundum Glauconis in libro secundo interrogationem haec: *Τὸ δὲ λοιπὸν ἤδη, ὡς ἔοικεν, ἡμῖν ἐστι σκέψασθαι πότερον αὖ λυσιτελεῖ δίκαιά τε πράττειν καὶ καλὰ ἐπιτηδεύειν καὶ εἶναι δίκαιον, ἐάν τε λανθάνῃ ἐάν τε μὴ τοιοῦτος ὤν, ἢ ἀδικεῖν τε καὶ ἄδικον εἶναι, ἐάνπερ μὴ διδῷ δίκην μηδὲ βελτίων γίγνηται κολαζόμενος. Ἀλλ', ἔφη, ὦ Σώκρατες, γελοῖον ἔμοιγε φαίνεται τὸ σκέμμα γίγνεσθαι ἤδη, εἰ τοῦ μὲν σώματος . . . Γελοῖον γάρ, ἦν δ' ἐγώ. Ἀλλ' ὅμως ἐπείπερ ἐνταῦθα ἐληλύθαμεν, ὅσον οἷόν τε σαφέστατα κατιδεῖν ὅτι ταῦτα οὕτως ἔχει, οὐ χρὴ ἀποκάμνειν. Ἥκιστα νὴ τὸν Δία, ἔφη, πάντων ἀποκμητέον. Δεῦρο νῦν, ἦν δ' ἐγώ, ἵνα καὶ ἴδῃς, ὅσα καὶ εἴδη ἔχει ἡ κακία, ὥς ἐμοὶ δοκεῖ, ἅ γε δὴ καὶ ἄξια θέας κτἑ.* Sequitur expositio de quattuor iniustitiae generibus respondentibus totidem civitatibus male administratis. Videamus si placet cogitationum inter se conexum. Reliquum igitur est, ut quaeratur, utra sit utilior, iustitia summa an iniustitia. De quo quamquam non iam dubitari posse putant et Glaucon et Socrates, tamen quia propositum sit, non omittendum esse videtur. Exspectamus igitur eam quae indicata est quaestionem. Quid vero audimus? Praefracte tenor interrumpitur disputationis et agitur sive actum iri promittitur

de generibus iniustitiae. Frustra quaeris quo cohaereant vinculo diversissima illa enuntiata, iamque apparet hic neque alibi incipere de qua agimus digressionem. Atque cur non recta via transeat ad quaestionem de feminis instituendam si quaeris, id facile est expeditu. Indicandi enim erant libri VIII et IX eadem ratione, qua in initio libri quarti indicati erant. Attamen non prorsus eadem hic regnat ratio. Quod enim in quarto libro unam tantum indicare licuerat civitatem propter appositam quam modo depinxerat optimam, nostro loco huius rei nil curandum est. Immo oportebat alicubi monstrari quid sit futurum, ne inexspectatae invaderent quattuor de quibus nil auditum erat urbes.

Nec non ubi claudatur excursus ignari sumus. Peracta enim de feminis quaestione additisque quibusdam aliis pergit p. 473b: *τὸ δὲ δὴ μετὰ τοῦτο, ὡς ἔοικε, πειρώμεθα ζητεῖν τε καὶ ἀποδεικνύναι, τί ποτε νῦν κακῶς ἐν ταῖς πόλεσι πράττεται, δι' ὃ οὐχ οὕτως οἰκοῦνται καὶ τίνος ἂν σμικροτάτου μεταβαλόντος ἔλθοι εἰς τοῦτον τὸν τρόπον τῆς πολιτείας πόλις κτέ.* Quae quidem disputatio perbene excipit quaestionem de iustitia atque iniustitia p. 444, quippe traducens ad philosophos in optima republica regnantes, itaque ad opus quod dicitur iustitiae investigandum.

Revertitur ad propositam atque interruptam de utilitate iustitiae disputationem in libro IX p. 588b: *ἐπειδὴ ἐνταῦθα λόγου γεγόναμεν, ἀναλάβωμεν τὰ πρῶτα λεχθέντα, δι' ἃ δεῦρ' ἥκομεν. ἦν δέ που λεγόμενον λυσιτελεῖν ἀδικεῖν τῷ τελέως μὲν ἀδίκῳ, δοξαζομένῳ δὲ δικαίῳ· ἢ οὐχ οὕτως ἐλέχθη; Οὕτω μὲν οὖν. Νῦν δή ἔφην, αὐτῷ διαλεγώμεθα, ἐπειδὴ διωμολογησάμεθα τό τε ἀδικεῖν καὶ τὸ δίκαια πράττειν ἣν ἑκάτερον ἔχει δύναμιν.* Itane vero? Estne re vera actum de opere cum iustitiae tum iniustitiae? At quale fuit iniustitiae opus? Nihil inventum est, nisi iniustum iusto multo esse infeliciorem. Sed quidnam omnino esse potest iniustitiae opus, quod opponatur summo philosophiae Platonis fini, ideis? Suo Marte primum omiserat de eo quod non extat disputare. Postea quod in marginatam hanc tabulam includere statuit, non ut compensaret praetermissa, sed alia de causa factum esse debet.

Neque poterat iam p. 445 instituere de iustitiae iniustitiaeve utilitate quaestionem, si non omnia quae hunc ad finem requirerentur, iam praesto essent, cum non ideo interrumperet orationis tenorem, ut novam rerum silvam colligeret (quod consilium necessario erat indicandum) sed ut alienum aliquid insereret. Quodsi coeperat in fine libri quarti de iis exponere, quae ad finem ducuntur in libro nono, tunc iam omnia expediri posse putaverat, neque dubito quin nota illa de bestia tripertita imago (p. 588 b sqq.) olim secuta sit libri quarti de iniustitia expositionem.

Restat de decimo libro quaestio, de quo quid nobis videatur, iam supra tetigimus. Quae vulgo fertur opinionem Krohnius [1]) sagaciter examinavit. Neque deest in hoc libro vitium contra artem atque elegantiam commissum. Peracto enim de poëtis additamento, leguntur haec p. 612 b: *οὐκοῦν, ἦν δ' ἐγώ, τά τε ἄλλα ἀπελυσάμεθα ἐν τῷ λόγῳ, καὶ οὐ τοὺς μισθοὺς οὐδὲ τὰς δόξας δικαιοσύνης ἐπηνέγκαμεν, ὥσπερ Ἡσίοδόν τε καὶ Ὅμηρον ὑμεῖς ἔφατε, ἀλλ' αὐτὸ δικαιοσύνην αὐτῇ ψυχῇ ἄριστον ηὕρομεν, καὶ ποιητέον εἶναι αὐτῇ τὰ δίκαια, ἐάν τ' ἔχῃ τὸν Γύγου δακτύλιον, ἐάν τε μή, καὶ πρὸς τοιούτῳ δακτυλίῳ τὴν Ἄιδος κυνῆν; Ἀληθέστατα, ἔφη, λέγεις. Ἆρ' οὖν, ἦν δ' ἐγώ, ὦ Γλαύκων, νῦν ἤδη ἀνεπίφθονόν ἐστι πρὸς ἐκείνοις καὶ τοὺς μισθοὺς τῇ δικαιοσύνῃ καὶ τῇ ἄλλῃ ἀρετῇ ἀποδοῦναι, ὅσους τε καὶ οἵους τῇ ψυχῇ παρέχει παρ' ἀνθρώπων τε καὶ θεῶν, ζῶντός τε ἔτι τοῦ ἀνθρώπου καὶ ἐπειδὰν τελευτήσῃ; Παντάπασι μὲν οὖν, ἦ δ' ὅς.* Quae verba minime conveniunt cum Glauconis atque Adeimanti in libro secundo adhortatione saepius repetita: *μισθούς τε καὶ δόξας πάρες ἄλλοις ἐπαινεῖν.* Neque hanc sententiarum discrepantiam rhetorica Platonis dicendi ratione ortam putare licet. Tum enim dicendum fuit e re vel alii loci esse hanc quaestionem, non vero aliis eam esse relinquendam.

Perlustravimus singulos Politias locos, quibus diversis temporibus dialogum scriptum esse colligebamus. Iam quid de tempore singularum partium effici possit, componamus.

---

1) d. plat. Staat. p. 237 sqq.

Scriptus est liber primus ante annum 390, quo fere tempore Clitophontem editum esse statuimus. Secuti sunt libri II—VII, quos quoniam non sine Clitophontis respectu scripsit Plato, non nimis diu post annum illum prodiisse verisimile est. Si igitur anno 389 sive 388 alteram dialogi partem editam esse contendimus, a vero haud ita multum aberrabimus. Difficilius est de reliquorum librorum iudicare tempore. At id nemo negabit post primum iter Platonis in Siciliam factum libros VIII et IX scriptos esse debere [1]). Equidem sane coniecerim iterum iam Syracusis fuisse Platonem, cum hos conscriberet libros, nam inveniuntur in iis duo loci, qui dubitationem de republica ad effectum adducenda continere videntur, quae non nisi spe a Dionysio minore ad irritum redacta nata esse potest [2]). Neque antea insertus est liber quintus, quem artissime cum ultimis cohaerere satis exposuimus. Quod ad decimum denique pertinet librum, diiudicare non ausim, utrum una cum praecedentibus duobus conscriptus sit, an postea demum appositus, attamen eiusdem esse temporis tres ultimos libros magis mihi arridere fateor.

Atque in universum de iis quae exposui dicendum est nequaquam ea sufficere ad quaestionem de editione Reipublicae dirimendam, quod ego minime praestitisse mihi videor. Pendet enim haec quaestio ex reliquis Platonis dialogis cum singulis Politias partibus comparandis. Tum demum quod finem esse puto totius de Platone disquisitionis, cogitari poterit de cognoscenda eius doctrina gradatim sensimque aucta et exculta. Ante omnia igitur inquirendum erit in singulos philosophiae Platonis gradus atque processus, quatenus indagari possint e partibus Reipublicae diversis temporibus confectis, qua quaestione causis ex ipsius philosophiae penetralibus repetitis confirmatum iri spero, quod nunc ex imperfecta libri collegimus forma.

---

1) cf. de rep. p. 577 a et Susemihl. gen. Entw. p. 237.

2) de rep. p. 473 c, 592 a. Negat Zellerus differre hos locos ab aliis quibus eadem de re agitur, Phil. d. Gr. II a 776 b.

Vita.

Martinus Fridericus Rudolfus Kunert natus sum Custrini a. d. IV. Non. Iul. a. 1857 patre Rudolfo et Dorothea matre, quos adhuc superstites esse valde gaudeo. Litterarum elementis Custrini imbuto optime mihi contigit, ut gymnasii Colbergensis, quod tum P. Schmiedero rectore florebat, fierem discipulus. Maturitatis testimonio instructus a. 1876 Tubingam me contuli, ubi scholas frequentavi Teufelii, Köstlini, Kugleri. Tum Berolinensis academiae civis fui, ubi me docuerunt Kirchhoffius, Zellerus, I. Schmidtius, Wattenbachius, Steinthalius. Vere anni 1878 almam hanc studiorum sedem adii; scholas frequentavi Kiesslingii, Luetiohanni, Reifferscheidii, Susemihlii, de Wilamowitzii. Seminarii philologici moderantibus Kiesslingio et Wilamowitzio sodalis fui extraordinarius duo semestria, ordinarius unum, nec non senior designatus, quo munere quominus fungerer, corporis infirmitate impediebar.

Exercitationibus suis ut interessem benigne permiserunt germanisticis Reifferscheidius, aristotelicis Susemihlius, Wilamowitzius metricis. His viris illustrissimis, imprimis Kiesslingio et Wilamowitzio, praeceptoribus singularibus, debitas hic gratias ago.

Sententiae controversae.

---

1. Xenoph. Mem. II 2, 5 scribendum est: ἡ δὲ γύνη ὑποδεξαμένη τε φέρει τὸ φόρτιον . . . . . οὐ προπεπονθυῖα οὐδὲν ἀγαθὸν οὔτε γιγνῶσκον τὸ βρέφος, ὑφ' ὅτου εὖ πάσχει οὔτε σημαίνειν δυνάμενον . . .
2. Xenoph. Cyneg. II 1 σκεψάμενον vocabulum spurium est (quod perspexisse videtur Lenzius: Xenophon, Über die Jagd p. 5).
3. Cyropaediae Xenophontis epilogum quippe necessariam addentem perditissimorum scriptoris aetate Persarum imaginem genuinum esse iudico.
4. Quotquot nuperrime Xenophontem tractant: avi culpam praeoccupato iudicio nepoti ignotissimo delegant.
5. Plat. de rep. 505 d lego: *Τί δέ; τόδε οὐ φανερόν, ὡς δίκαια μὲν καὶ καλὰ πολλοὶ ἂν ἕλοιντο τὰ δοκοῦντα, κἂν μὴ ᾖ, ὅμως ταῦτα πράττειν καὶ κεκτῆσθαι δοκεῖν . . . .*
6. Tac. dial. cap. 26, 32 scribo: quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut se ante Ciceronem numeret, sed sane post Gabinianum?
7. Plaut. Most. 108 R. propono:

   Atque illud saepe fit: tempestas venit
   Confringit tegulas imbricesque: ibi
   Dominus indiligens reddere alias nevolt.
   Perpluont, venit imber, perlavit parietes,
   Tigna, putefacit aer operam fabri:
   Nequior factus iamst usus aedium.
8. Quid sit angiportus in scena Romana bene intellexit Lorenzius, Plauti Pseudolus pag. 2 et 244, nisi quod ad unam omnes domos angiporto seiunctas fuisse contendit. Quae sententia refellitur Mil. gl. v. 140 sqq.

Ienae, typis Ed. Frommanni.